2 works in

James Hutton
Brooklyn, N.Y.
September 1926

EPIGRAMMATA

EX LIBRIS GRÆCÆ ANTHOLOGIÆ

A Q. Septimio FLORENTE CHRISTIANO *selecta, & Latinè versa.*

SIVE

FLORILEGIVM LATINVM

EX GRÆCO FLORILEGIO.

Accessit MVSÆI Poëmatium versibus ab eodem expressum.



LVTETIÆ,

Ex Typographia Roberti Stephani.

M. DC. IIX.

Cum priuilegio.

INDEX TITVLORVM GRÆCÆ ANTHOLOGIÆ,

ex quibus hæc Epigrammata selecta fuerunt.

A

In amicitiam 27,a
amorem prolis 27,b
animalia 11,a
arbores 8,b
arcanum 16,b
aſtrologos 30,a
auaros 41,a
In *effigiem* A*naſtaſij regis in* E*uripo* 41,*b*
aucupes 52,a
aues 19,b. 57,b
In *perdicem* 57,*b*
cicadam 58,*a*

B

In Baccharum imagines 65,a
In *Baccham quæ* By*zantij erat* *ibid.*

C

In calamum ſcriptorium 8,b
Carmina in ſe recurrentia, ſeu reciproca 6,b
Carmina ἰσόψηφα, i. quorum literæ parem numerum efficiunt 89,b
In certamina, & pugiles 1,a
citharœdos, & tragœdos 34,b. 52,b.
In *effigiem* A*rionis citharœdi* 74,*b*
In *effigiem* M*ariæ citharistriæ* *ibid.*
contumelioſos 41,a
crepitum 38,a
curas 28,a

D

In deformes 32,a
deos 13,b

deorum, dearúmq; statuas 69,b
dolosos 32,b
domos 76,a
In domum excelsam, quæ Byzantij erat ib.
In domũ super monte exstructam Byzantij ibid.
In domum incustoditam, Irrisoriè 76,b
In magnum Prætorium exornatum ibid.
In ædes Agath. scholastici apud Byzantium ibid.
In donaria 2,a
simulacrorũ 85,b
amatoriorum 89,a
votorum 89,b
ferarum ibid.
In donaria ab athletis data 85,b
A piscatoribus 86,a
bacchantibus 87,a
senibus ibid.
mulieribus 88,b
venatoribus 90,a
In tres fratres ib.
citharœdis 91,a
coquis ib.b
temulentis ibid.
naufragis ibid.
iuuenibus 92,a
pastoribus ibid.
militibus ibid.
notarijs 93,a
Ab agricolis 87,b
hortulanis 90,a
opificibus 93,b

E

In ebrietatem 16,a
Echo 13,a
equos 34,a
Epigr. χειφώδη 106,b
Epigr. in athletarum columnas, in circo Vrbis C. P. 83,*b*

F

Facetiæ conuiuales 39,a
In felicitatem 10,b
filias 33,a
filios, & filias 62,a
fluuios 24,b. 79,a
pontem Sangarij ibid.
In fœtidos 32,b
fontes 21,a. 34,b. 77,a. 106,a
In fontem 72,b
formam 15,a
fortitudinem, & for-

tes viros 2, b
In fortunam 26, a
In Magistratum dignitate exutum 26, b
fratres 44, a
frugalitatem, siue animum sua sorte contentum 16, b
fures 34, b

G

In graciles 35, b
grammaticos 8, b. 31, b
In effigiem Grammatici 78, *a*
gratos, & ingratos 11, a
In ædem Mineruæ apud Ilium sitam ib.

H

In heroas 51, a
heroïnas 68, b
horas, & menses 28, b
In Romanorum menses ibid.
In Vernum tempus ibid.
Monostichum Theonis, in hebdomadem 29, a
horologia 81, a
hortos 74, a
In hortum maritimum ibid.

I

In improbos 24, a. 37, b
infantes 7, b. 47, b
infelicitatem 9, b
insulas 18, b
inuidiam 27, a
iudices 15, b
iustitiam 9, a
iuuenes, & puellas 55, b
Pauli Silentiarij in filiam suam 56, b

L

In lapillos 74, b
ïaspida sculptum ibid.
Amorem sculptum in cyatho ibid.
lapidem qui citharæ sonum emittebat 75, *a*
balneum ibid.
balneum, quod apud Smyrnam erat ibid.
aliud apud Byzãtium, quod Venerem habebat sese lauãtem ib.

In aliud quod apud Lycium erat ibid.
aliud de nomine Amoris dictum 75, *b*
In balnea Agamemnonia, apud Smyrnam ib.
balneum, quod erat Præneti, ad sinum Astacenum ibid.
Laudes 10, a
In libidinosos 30, a
lusum 20, b

M

In mathemata 15, b
Problema Ptolemæi, vt videtur Flor. Christiano 16, *a*
Aliud problema ib.
medicos 14, b. 33, a. 51, b
Distichum reciprocum, in Hippocratem 14, *b*
In eos qui semper ægrotant ibid.
medicorum effigies 74, a
In effigiem Hippocratis ibid.
In effigiem Iamblichi medici ibid.
In meticulosos 31, b
minas 4, b
misericordiam 10, a
Quæ Meleager dicere potuisset, quum bos Ioui immolandus mugiret ibid.
mœchos 53, b
mortem, & mortuos 13, a
mulieres 8, b. 31, b. 48, a
In iuuencam, quæ è regione Constantinopolis erat 48, *b*
Agath scol. In matrē suam Byzantij iacentem 49, *b*
Eiusdem, In sororem suam Eugeniam 50, *a*
mulierum effigies 66, a
mutilatos 2, a

N

In naues 18, a
naufragium 17, a
eos qui naufragium passi sunt 53, b
Verba naufragi ad agricolam ibid.

nauigia 37, a
nouercam 16, b
nuptias 8, a

O

In orationum, seu versuū scriptionem 15, b
obscuros viros 45, b

P

In pastores 22, b
pauperes 25, a. 61, b
philosophos 27, b. 42, a. 62, b. 89, b
Palladæ, imò verò Themistij Philosophi in se ipsum, quando Præfectus Vrbi Nouæ Romæ factus est, Valentiniano et Valēte Impp. 42, a
In septem Sapientes 62, b
Apophthegm. septem Sapientum ibid.
In pictores 33, a
pictores, statuarios, & in vniuersum imagines 66, a
pietatem 10, b
pigros 36, b
pisces 15, a
Pauli Silentiarij, Cùm piscem puellæ misisset 97, a
In 7. Plan. eorūq; in nos vires et affectus 105, b
poëtas 21, b. 36, b. 58, b. 77, a
In nouem Lyricos ib.
preces 11, a
prodigos 4, b
proborum virorum effigies 64, a
pugiles 20, b. 43, b
pugilum effigies 65, a
pusillos 30, b

R

In rapaces 29, b
rhetoras 38, a. 61, b
rhetorum, seu oratorum effigies 79, b

S

In saltatrices 76, b
In saltatricis effigiem ibid.
In columnam Pyladæ saltatoris 77, a
sapientiam 25, a
senectutem, & senes 8, a. 48, a
In eum qui sese ante mortem sepelierat ib.
seruos 32, b. 51, a

In ſimulacra regũ 65,a
effigiem Piſiſtrati 65,b
magiſtratum ibid.
ſolatium 31,a
ſtatuã Echûs 69,b
ſtatuas animalium 66,a
vaccam Myronis ib.
aprũ Calydoniũ 67,a
ſuburbia 79,b
In ſuburbium de nomine Amoris dictum, apud Amaſeam ibid.
ſuperbiam 26,b
ſurdos 34,b

T

In talionem 4,a
temperantiam 25,a
templa 16,b
In tumulum Pompeij in Ægypto 17,a
tempus 28,a
temulẽtos 36,a. 53,a
tibicines, & item ſaltatores 5,a

V

In vafros 21,a
vaſa, ſiue vtenſilia 80,a
In conopeum 80,b
tabulã luſoriam ibid.
phialã, quæ piſces motitãtes includebat 80,b
diſcum ibid.
In venatores 52,b
veterum, & heroum quorundam effigies 67,a
vetulas 31,a
Victoriæ ſimulacra 76,a
ſtatuam Victoriæ pẽnis carentẽ Romæ, cuius pẽnæ fulmine crematæ fuerant ibid.
vinum 19,a
viros claros 43,a
viros fortes 44,a
virtutem 4,b
vitã humanam 6,a. 13,a
vitem 1,b
vltionẽ diuinam 9,a
vrbes 23,a. 78,a
Pharũ Alexandriæ ib.
Soteria quæ apud Smyrnam erant ibid.

EX LIBRO PRIMO ANTHOLOGIÆ DIVERSORVM EPIGRAMMATVM VETERVM.

In certamina & pugiles, TIT. I.

ARCHIÆ.

QVATTVOR *antiqui certantur in Hellade ludi:*
Sacri hominum duo ſunt, cælituúmque duo;
Nempe Iouis, Phœbique, Palæmonis, Archemoríque:
Victor pinum, oleam, poma, apiúmque refert.

9.357

ANTIPATRI.

Non Perſeo eſt Arias curſor ſatus ille Menecle,
Indecor auctori, Tarſe Ciliſſa, tuo.
Vſque adeo volucri iuuenis pede pollet, vt ipſi
Nec dorſum currens Perſeus ipſe notet:
Nam vel carceribus, meta vel ſemper in ipſa,
Non medio in ſtadio fas iuuenem aſpicere eſt.

9.557

EIVSDEM.

Tauri profundas vertebras, & ferreos
Humeros Atlantis, & comam magni Herculis,

6.256

Decúsque barbæ, tum leonis lumina
Milesij gigantis ipse Iuppiter
Videns tremore non vacauit, tunc pugil
Cùm victor esset Nicophon Olympicus.

DAMAGETI.

Nec me Messene pugilem, me nec tulit Argos;
Sparta superba viris, Sparta mihi patria est.
Arte quidem vincunt illi, virtute ego vinco:
Vincere nempe solent sic Lacedæmonij.

SIMONIDIS.

Cerne Theocritum qui vicit Olympia, nosces
Quàm iuuenis pugnæ dexter & aptus erat,
Formosus: sed forti æquans certamine formam:
Namque bonorum vrbem mactat honore patrum.

EIVSDEM.

Et saltu, & cursu, & disco, & lucta, iaculóque
Pythiacis Diophon vicit, & Isthmiacis.

In vitem, Tit. II.

PHILIPPI.

Quis desolatus vitem te collis agrestem,
Anne Aquilonaris frigora Sithoniæ,
An niue conspersæ, damnatæ & solibus Alpes,
An ferri tellus mater Ibera tulit?
Quæ tristes acinos, acidas quæ infertilis vuas,
Vnde fluit laticis asper amaror, alis.
Te, te appello, tuásque manus imploro, Lycurge,
Vt stirpe ex ima germina cruda metas.

In donaria, TIT. III.

LEONIDÆ.

Non mea sunt spolia hæc: ecquis Mauortis ad ædem
Suspendit? non hæc gratia grata mihi est.
Nec galeæ conus fragilis, nec lancea fracta est;
Scuta etiam nullo tincta cruore nitent:
Putidus ora rubor confundit, sudor amarus
Fonte cadens frontis pectora nostra rigat:
His aliquis oneret potius cœnacula donis,
Aut molles cryptas, virgineósque toros.
Qui volet exsuuijs ornet mea templa cruentis:
Affectat Mauors talia Nerienes.

MNASALCI.

Cur huc ad pulchram venisti, ô fistula, Cyprin?
Pastorum positis cur ades hucce labris?
Nec colles, nec habes hîc valles; omnia amores.
Viuit in excelsis rustica Musa iugis.

In mutilatos, TIT. IV.

PHILIPPI.

Quidam erat orbatus pedibus, quidam alter ocellis;
Sed quod vtrique tamen deerat, vterque dabat:
Nam claudum tollens, humeralia pondera, cæcus,
Illius rectum voce tenebat iter.
Hæc docuit lex cuncta audacis amara Necessi,
Largiri quicquid deficit alterutri.

LEONIDÆ.

Cæcus vtroque errans claudum pede tollit, vtroque
Lumina compensans sic aliena pede;

Imperfectus vterque se vtrique accommodat: vni,
Quam non alter habet, sufficit alter opem.

ERYCII.

Infelix Medon, lustralis aranea læuo
Te pede percußit, dum aßina ligna secas,
Ex ima tellure ruens: multam hinc tibi carnem,
Et viridem exedit atra putredo pedem;
Forte genu cæsum est: sterilis nunc truncus oliuæ
Vnipedem firmans fértque refértque gradum.

9.233

In fortitudinem, & fortes viros, TIT. V.

INCERTI AVCTORIS.

A bello reducem natum Spartana, petentem
Cùm vidit celeri patria tecta pede,
Irruit, & nudi pectus transuerberat hasta,
Et super occiso mascula verba dedit,
Quin morere, ô Spartæ, dixit, non vera propago,
O mentite genus & patris, & patriæ.

9.61

IVLIANI.

Occidit genitrix natum Spartana fugacem,
Nec voluit meminens esse puerperij:
Legitimos etenim Lacedæmon arguit ortus
Robore pugnantis, non sobolis genere.

9.447

AGATHIÆ SCHOLASTICI,

In Aiacis lapidem.

Aiacis lapidem fuge me gestare, viator,
Eiaculatorem pectoris Hectorei;
Sum niger atque asper: sapiens testatur Homerus,
Vt mea prostrarint pondera Priamidam:

9.204

At me nunc homines vix de tellure mouebunt
Tantillùm: ô generis probra pudenda mali!
Ergo, aliquis, terra propera me abſcondere: quippe
Ludibrium ignauis me pudet eſſe viris.

BASSI, In Germanicum.

Pyrenæa iuga, atque profundæ vallibus Alpes, 9.283
Quæ propiùs Rheni rauca fluenta vident,
Teſtantur radios, & quos Germanicus ignes,
Dum multo ad Celtas fulminat enſe, dedit:
Illa dedêre quidem fremitum: debemur at, inquit,
Tam validis manibus, mater Enyalio.

CRINAGORÆ, In Romam.

Tota bibat totum quamuis Germania Rhenum, 9.291
Inque omnes ſe æſtus reflua Tethys agat:
Incolumis ſemper Romana potentia viuet,
Donec erit dextræ ſubdita Cæſareæ:
Sic firmis, quæ ſacra Ioui, radicibus hærent
Robora: ſed frondes differet aura leuis.

ARCHIÆ.

Cui nunquam vitam bellorum hausêre tremore 9.354
Prœlia, nunc morbi propria bella necant:
Sed mea tranſadiget ferrum ilia, fortis & vt vir
Sic moriar, morbum vt bella inimica fugans.

Quæ Pyrrhus Troiam ingreſſus dicere potuiſſet.

Ergo mei Patris non inuenêre labores 9.461
Egregij finem; aſt Phrygijs cædem omnibus ipſe
Exitiúmque feram: è forti mihi gloria maior

Virtute est; Regem Priamum, & quos liquit Achilles
Vna omnes poterit virtus occidere nostra
Pugnatrix, vertétque solo celsa oppida Troiæ;
Nostra decennali finem dabit hasta duello.

ALCÆI MESSENII.

Inuia facta Philippo, ô mœnia Iuppiter auge;
Ærea magnorum limina claude deûm:
9.518 *Nam terram & pelagus domuerunt sceptra Philippi:*
Nunc restat cæli regia magna tui.

DIONYSII.

9.523 *Calliope verbosa, suauis Musa Heliconis,*
Da mihi Homerum alium, quādo alter venit Achilles.

ALPHEI MITYLENÆI.

Pande, Deus, magni indefessum limen Olympi:
9.526 *Sacras serua arces, Iuppiter, ætherias:*
Iam terras Roma & pelagus sua sub iuga misit:
Nondum est ad superos semita facta polos.

PHILIPPI.

Vt vidit Xerxes confossum vulnere corpus,
Purpurea ornauit veste Leonidium;
9.293 *Subdidit ex orco Spartæ non degener heros,*
Debita ego infidis præmia nulla peto:
Sat clypeo tumulus decoratur; dona facessant
Persica: sic moriar ceu Lacedæmonius.

BASSI.

9.279 *Quum rate Lethæa vectores cerneret Orcus*
Tercentum, Martis quos furor abstulerat,
Classis, ait, Lacedæmonia est: viden' anteriora

Vulnera, vt in solo pectore pugna patet?
Nunc belli satis est, nostrúmque capessere fas est
Somnum, ô inuicti sanguis Enyalij.

Quæ verba, vulnerato Agamemnone, Achilles dicere potuisset.

Iámne, Atrida, mei diram scis pectoris iram?
Iam scis Hectoreum quantum est in prælia robur?
Nunc etenim periêre omnes, tua maxima culpa est:
Peior morte tibi accessit iactura, premúntque
Improba stultitiæ te facta, atque vltima damna;
Qui sis conatus Danaûm conuellere robur.

ALCÆI.

Persicus in Græcas duce Xerxe exercitus oras,
Mox ductore Tito venit & Italicus:
Ille iugum tamen Europæ seruile daturus
Venerat, hic, ne esset Græcia serua, cauens.

In talionem, TIT. VI.

EVENI.

Quamuis me rodas radicitus, attamen edam
Fructus mactato qui satis, hirce, tibi.

ANTIPATRI.

Circum reptanti platanus tegor arida vite,
Et coma florentem me peregrina facit,
Illa ego quæ quondam florentibus antea ramis
Foui vuas folijs luxuriosa meis:
Talis alumnari me iudice amica meretur,
Per quam in morte etiam gratia nostra viget.

APOLLONIDÆ.

Tota Asia ostentum simul ac aspeximus ingens,
Carnis equum humanæ qui cupiens fremeret,
Quæritur Alcides alter mihi, venit ocellis
Threïcij stabuli fabula prisca meis.

INCERTI AVCTORIS.

Tu quum indigna feras, leo, fer patienter iniqua:
Nūquam homines, mihi crede, iniusti impunè fuêre.

In minas, TIT. VII.

INCERTI AVCTORIS.

Iuppiter, Eripiam tua spicula, dixit, Amori;
Cui puer ille, Tona, denuo cycnus eris.

In virtutem, TIT. VIII.

ONESTI.

Ascendens magno sudasti Helicona labore;
Sed satur es fontis nectare Pegasei:
Sic etiam Sophiæ labor arduus; at superato
Vertice, Pieridum pocula læta bibes.

PAVLI SILENTIARII.

Nec te fortunæ diues nimis eleuet vnda,
Nec cadat ad curas libera vita graues:
Scilicet inconstans semper diuerberat aura
Vitam hominum, atque aliò distrahit, atque aliò:
At Virtus certum est, atque immutabile; vitæ,
Hac fidens, findes æquora tuta tuæ.

In prodigos, TIT. X.

LVCIANI.

Patris opes iuuenis damnosus Thero Menippi

Fuderat, & fœdè cuncta ligurierat:
Quem nuda vt vidit sic paupertate teneri,
Qui priùs Euctemon patris amicus erat,
Illacrymans ad se iuuenem vocat, atque maritum
Natæ cum grandi dote dat esse suæ:
Verùm vbi Theroni præter spem accesserat aurum,
Sumptibus incœpit luxuriare nouis;
Applauditque suo, assentitúrque omnia ventri
Inceste, genio gratificátque suo.
Sic exsecrandæ Therona reciprocus æstus
Paupertatis adhuc venit adobruere:
At rursum Euctemon defleuit, non equidem illum,
Sed natæ dotem, magnáque damna suæ:
Hinc didicit manifestò, In rebus fidum alienis
Non posse esse, suas qui malè seruat opes.

In tibicines, & item saltatores, TIT. XI.

PHILIPPI.

Multiforas Glaphyran inflantem carmine lotos
Cùm vidit Phœbus, sic stupefactus ait,
Pallados inuentum mentiris, Marsya, cuius
Non tibi, sed Glaphyræ tibia rapta fuit.
Sin talem inflasses, tua non luxisset Hyagnis
Ad vada Mæandri tristia fata parens.

ANTIPATRI.

Traxerat antè feras Orpheus, sed tu Orphea cantu:
Ipse, Phrygis victor, cedit Apollo tibi;
Nomen habes isti, Glaphyra, quod conuenit arti,
Si cecinisset ad hunc docta Minerua modum:
Non ita iecisset lotos: Te nempe canente

Pasitheæ intra vlnas dormiat ipse Sopor.

In frugalitatem, siue animum sua sorte contentum, TIT. XII.

PARMENIONIS MACEDONII.

Sat mihi sat vilis læna est; seruire recuso
Mensis, Musarum munere donec alar.
Odi assentantes & opes sine mente superbas:
Libertas cœnæ me iuuat exiguæ.

ALPHEI MITYLENÆI.

Non terras segetum velim feraces,
Non auri cumulos, vt ille Gyges:
Quod vitæ satis est amem, Macrine;
Illud Nil nimium, *nimis iuuat me.*

PALLADÆ.

Nec spes, nec fortuna, nec est frustratio curæ
Iam nobis; portum scilicet adpulimus.
Sum pauper, mihi libertas conuiua, comésque est:
Paupertatipremæ nunc valeatis opes.

LVCIANI.

Diuitijs vtare tuis tanquam moriturus;
Tanquam victurus parce tuis opibus.
At verè ille sapit qui, quum duo nouerit ista,
Sumptibus, atque modum fecit auaritiæ.

THEOGNIDIS.

Parca adsit, nullísque malis obnoxia vita:
Diuitias nec amo, nec mihi posco deos.

Idem aliter.

Nec mihi diuitias posco, nec diligo multas:
Me parca, atque malis libera vita iuuat.

INCERTI AVCTORIS.

Corpora alit qui multa, & multas excitat ædes, 10.119
Huic paupertatis prorsus aperta via est.

INCERTI AVCTORIS.

Proh canis, ô venter, per te assentans parasitus 16.9
Ius libertatis vendere iure solet.

In vitam humanam, TIT. XIII.

ARCHIÆ.

Laudandi Thraces, grauida qui matris ab aluo 9.111
Acceptura ortum pignora flere solent:
Contrà felices ducunt, quos damnat acerbo
Improuisa dies funere Parca secans:
Omnimodis nam nostra malis obnoxia vita est:
At mors humani est certa medela mali.

INCERTI AVCTORIS.

Vitam, Heraclite, humanam plus tempore vestro 9.148
Nunc defle; vita est hæc miseranda magis:
Tempore plus etiam vestro, Democrite, vitam
Ride; ridenda est scilicet ista magis.
Ipse vtrumque tuens meditor, quî denique possim
Adridere tibi, collacrymare tibi.

POSIDIPPI, siue, vt alijs placet, CRATETIS CYNICI.

Ecquam quisque viam vitæ secet? æcria tantùm 9.359

Iurgiáque & lites oggerit omne forum:
Cura domi est, & rure labor; maris æquor aranti
Horror adest, peregrè si quid habes, metus est,
Si nihil, hoc miserum; sequitur connubia tristis
Anxietas; careas coniuge, solus eris:
Sollicitat soboles, orbátque carentia prolis:
Stulta iuuenta ferè est, firma senecta parum:
Alterutrum ergo optes, aut nunquam in luminis oras
Venisse; aut natum morte repentè frui.

A contrario, Verisimilia
METRODORI.

9.360
Vitæ omnes sectare vias; nam Curia laudem
Et cata consilians acta forensis habet:
Tuta domi requies, naturæ gratia ruri est:
Fert pelagus lucrum: laus, bona habere foris,
Conscius vnus egens fueris: domus omnis honesta est
Coniugio, in vita cœlibe cura leuis:
Delectant nati, improli est securius æuum:
Robur inest iuueni, vis veneranda seni:
Neutrum ergo optandum est, aut non natum esse, vel
Mox obijsse: etenim est vndiq. vita bona. (ortum

PALLADÆ.

10.58
Nudus terram obij, nudus terrámque subibo:
Si nudus finis, frustrà ego discrucior.

EIVSDEM.

10.72
Ludicra vita omnis scena est; aut ludere disce,
Seria seponens, aut mala disce pati.

INCERTI AVCTORIS.

10.124
Nati, si quid eis humanitus accidit, angunt;
Quin nos pro viuis non leuis angor habet.

Sequens distichum à superiore scorsim legit Fl. Christianus.

Nuptæ, si qua bona est, non est spernenda voluptas:
Cui praua est, vita huic venit acerba viro.

EIVSDEM.

Si te fata ferunt, fer fata, libénsque ferare; 10.73
Scilicet inuitum te quoque fata ferent.

ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ.

Ηδέα πάντα κέλευθα λάχεν βίος· ἄστεϊ μέσσῳ,
Εὖχος, ἑταιρεῖαι· κρυπτὰ δόμοισιν ἄκη·
Αγρὸς τέρψιν ἄγει, κέρδος πλόος, ἀλλοδαπὴ χθὼν
Γνώσιας· ἐκ δὲ γάμων οἶκος ὁμοφρονέει·
Τοῖς δ' ἀγάμοις ἄφροντις ἀεὶ βίος· ἕρκος ἐτύχθη
Πατρὶ τέκος· φροῦδος τοῖς ἀγόνοισι φόβος·
Ηνορέην νεότης, πολιὴ φρένας οἶδεν ὀπάζειν·
Ενθεν θάρσος ἔχων, ζῶε, φύτευε γένος. 9.44b

IVLIANI.

Dulcis ad omnigenā vitam est via: laudē & amicos
Dant vrbes: domibus clausa medela mali est:
Blanditias dat ager, lucrum mare, barbara tellus
Notitias; animos vnanimes thalamus:
Tum cælebs vita est sine curis; robora patrum
Sunt nati; curis vir sine prole caret;
Robusti iuuenes, sapiens est cana senectus:
Ergo audax meritò, viue, genúsque foue.

Αντιῤῥητικὸν Græcum FLOR. CHRISTIANI.

Ηλεὰ πάντα κέλευθα λάχεν βίος· ἄστεϊ μέσσῳ
Νεῖκος, ἐπήρειαι· λυγρὰ δόμοισιν ἄχη·

Ἀγρὸς θλίψιν ἄγει, τάρβος πλόος, ἡ ξενοδαπὴ χθὼν
Μέμψιας· ἐκ δὲ γάμων πολλὰ διχοστατεῖ·
Τοῖς ἀγάμοισιν ἄτακτος ἀεὶ βίος: ἔργον ἐτύχθη
Πατρὶ τέκος· φροῦδος τοῖς ἀγόνοισι πόθος·
Ἡ νεότης ἄφρων· πολιῇ σθένος οὐδὲν ἁπάσῃ·
Ἔνθεν θάμβος ἔχων, φεῦγε, μάτευε τέλος.

Idem Latinè à Rob. Stephano.

Vanas vita vias passim sectatur: in vrbe
Iurgia, contemptus; anxia cura domi;
Ærumnas dant rura, metũ mare, terra querelas
Lõginqua; vnanimes multa thoros dirimũt;
Res incompositæ sine coniuge; prole parentes
Solliciti; expertes prolis, amore carent;
Inconsulta iuuenta; tremit defecta senectus:
Hinc metuens, finem nosce, fugámque para.

INCERTI AVCTORIS.

Qui vitam euitem sine morte? incommoda mille
Nam tenet, & quæ nec ferre, nec effugere est.
10.123
Si quid habet læti, naturæ est; æquora, terræ,
Solis, Lunæ orbes, lucidáque astra poli:
Cætera cuncta metus sunt & dolor; adde quòd vrit
Lætitiæ, Nemesis inuida, si quid habes.

In infantes, TIT. XIV.

ARCHIÆ.

Lysippes in præcipiti dum reperet infans,
Casum incœpturus Astyanactis erat:
9.351
Verùm rexit iter, tractâ de pectore mammâ,
Mammâ, quæ mortem reppulit, atque famem.

BIANORIS.

Incidit in puerum infantem domus alta repentè:
Sed leuior Zephyro tota ruina fuit,
Infantique pepercit: ô ingens gloria matrum!
Sentitur lapidi cura puerperij.

9. 259

In nuptias, Tit. xv.

INCERTI AVCTORIS.

Vxorem qui duxit, & optat habere secundam,
Naufragus infestum bis natat ille mare.

9, 133

PAVLI SILENTIARII.

Pulcher virginitatis honos: sed ab omnibus illa
Si seruata foret, perdita vita foret:
Legitimæ vxoris tædas accende: repone
Orbi hominem, & longè sit tibi mœchus amor.

9, 444

INCERTI AVCTORIS.

Donec eras cœlebs, Numenie, cuncta bonorum
Ferre videbatur tunc tibi vita bona:
Nunc postquam accessit coniux tibi, cuncta malorum
In vita rursus credis adesse mala.
Hoc faciunt nati: natos, Numenie, habebis
Si aurum habeas, natos pauper amare nequit.

9, 3[illegible]

In senectutem, & senes, Tit. xvi.

EPIGONI THESSALI.

Frondentes inter iuuenescens antè labruscas,
Distentos vuæ plena gerens acinos
Nunc adeo senui: viden' vt domat omnia tempus:
En vuas etiam ruga senilis habet.

9. 261

In grammaticos, TIT. XVII.

PALLADÆ.

Paupertatis habens casum, volo vendere casus
Grammaticæ, atque ipsos Grammaticos canonas:
Nam mihi Dorotheus victus Syntaxin ademit,
Vt quod edam desit iam mihi, quódque bibam.
At succurre mihi, ne fors Coniunctio diræ
Cogat egestatis me malesuada mori.

9.175

In calamum scriptorium, TIT. XVIII.

Canna fui primùm non vtilis herba, nec vuas,
Nec ficus vllos, poma nec vlla ferens:
Sed vir sacrauit me Heliconida, ducere riuos
Angustos suadens, paruáque labra acuens:
Vnde afflata deo velut, atro pota liquore,
Nil est quod muto non valeam ore loqui.

9.162

In mulieres, TIT. XIX.

PALLADÆ.

Nugaris, tu qui vxori parere negas te;
Nam neque tu quernum pro patre robur habes,
Nec petram pro matre, aiunt: nos ista necesse est
Ferre omnes: vxor imperat ergo tibi.
Quod si sandalio, dices, non vapulo, nec sum
Furtorum vxoris conscius ipse meæ;
Aio te seruire minus: verùm esse pudicæ,
Et non morosæ mancipium dominæ.

10.55

In arbores, TIT. XX.

ANTIPATRI, siue, vt alij volunt,
PLATONIS.

9.3

Iuncta viæ nux sum, scopus hîc desertus, vt esset

Quem

Quem pueri certis ictibus vsque petant;
Omnibus effractis ramis & cortice crudo
Dispereo, lapidum praeut ab imbre premor:
Quid iuuat arboribus, quid prodest esse feraces?
Hei miserae! fraudi est haec mihi fertilitas.

PHILIPPI.

Phoebi exosa olim thalamum, sanctissima laurus,
Surgit ab altari Caesaris alta sui,
Atque deum meliore deo mutauit, & odit
Latoïdem, atque Iouem diligit Aeneadum,
Radicémque lapis, genitrix non terra refundit.
Nempe tibi, ô Caesar, nil lapis ipse negat.

INCERTI AVCTORIS.

Sub lauri folijs requiesce virentibus, hospes;
Haustáque de nitido pocula fonte bibe:
Vt lassos artus, & ab aestu Solis anhelos
Mulceat, & Zephyri verberet aura tepens.

In iustitiam, TIT. XXI.

IVLIANI AEGYPTII.

Quas Praetor regeres tibi Rex decreuerat vrbes,
Vt miseris ferres ciuibus acer opem:
Verùm tranquillam vitam priuatus amasti
Sorte satis felix, ô Titiane, tua;
Iustè parta fouens ab áuis bona: nam tibi & aurum
Contemni adsestrix testis alumna Themis.

In vltionem diuinam, TIT. XXII.

INCERTI AVCTORIS.

Aequior est multò Neptunus Pallade iudex,

En mare, iam bonus est Græci malè iudicis index,
Littoribus clamat clypeus, pulsátque cadauer,
Dum gestatorem dignum te iure fatetur,
Surge Aiax, tu nunc scuto potieris Achillis.

PHILIPPI.

Fortè infans à matre parum deerrauerat, illum
Audax mox aries cornibus impetijt:
Verùm aper Herculeus, ruptis ex tempore vinclis,
Sanguine se ventris lauit in arietini
Gratificans vitam puero: Ergo infantibus æquus
Iunonis memor est Amphitryoniades.

ARCHIAE.

Fortè niger puro libratus in æthere coruus
Egressam terra senserat ire Nepam,
Rapturúsque ruit: cui mox non tarda ruenti
Inspicans telo vulnerat illa pedem,
Eripuítque animam: viden' vt cui triste parabat
Exitium, ex illo funera acerba tulit.

TVLLII GEMINI.

Lurco dapis mus omnigenæ, securus at omnis
Muscipulæ, ex ipsa morte lucrúmque petens,
Neruisonam Phœbi chordam dum vellit, in altum
Bestiolam nectit gutture tracta fides.
Certum Phœbi arcum miramur: at acer in hostes
Certa, gerens citharam, destinat arma suos.

In infelicitatem, TIT. XXIII.

ANTIPATRI.

Vna oue contentus, boue diues vixit & vna,
Victor Aristides hac ratione famis:

Sed lupus acer ouem, vaccam partúsque necauit,
Paupertásque suum perdidit ipsa gregem:
Mox collo ille suæ miser aptans vincula peræ,
Sustinuit tacitam propter obire casam.

LVCIANI.

Vita breuis semper felicibus: at misero omni
Nox tenet immensi temporis vna locum.

In misericordiam, TIT. XXIV.

PHILIPPI, *vt censet* Fl. *Christianus.*

Quæ Meleager dicere potuisset, quum bos Ioui immolandus mugiret.

Iuppiter, ipse tibi supplex bos mugit ad aram,
Se leto cupiens eripuisse graui:
At sine aratorem, Rex ô Saturnie*; nempè*
Portitor Europæ *tu quoque taurus eras.*

Laudes, TIT. XXVI.

DIODORI SARDIANI.

Linqueret excelsam cùm Scyron, *qualis adibat,*
Pergama Achilleïdes *antè* Neoptolemus:
Talis in Æneadis dux Romam *accedit in vrbem,*
Ostia dum properat in Tyberina Nero;
Sic iuuenis, sic pubescens: verùm ille litauit
Solo ense, hic armis consilióque litat.

In Amorem, TIT. XXVII.

INCERTI AVCTORIS.

Non est numen Amor; *nam* Dij *sine crimine viuunt:*
Et tamen iste hominum sanguine gaudet Amor.

Non habet ense manus infestas: & tamen hæc sunt
Patratæ cædis quæ spolia ille tulit;
Cum nata perijt genitrix: vtraque perempta,
Vlta est auctorem saxea pœna virum.
Nec facta hæc Martis, Ditísve: Cupidinis heu sunt!
Queis nos ludificans accipit ille puer.

ANTIPATRI.

Ne lacrymis placare putes, Telembrote, Amorem;
Haud ignem tantum tantula sedat aqua:
Verè Pæonium est aurum medicamen Amoris,
Quod non extinguat tota vel vnda maris.

INCERTI AVCTORIS.

Ignem quis domat igne? facem quis lampade stinguit?
Quis tendit nostris telis contraria tela?
Alter Amor nostro cum robore pugnat amori.

LVCIANI.

Mortales non lædit Amor: sed crimina mentis
Isto prætexit nomine quisquis amat.

In pietatem, TIT. XXVIII.

CARPYLLIDÆ.

Setoso pisces hamo de littore captans,
Nauifragi quidam traxit inerme caput:
Mox incorporeum miserando cadauer, inermi
Effossum tumulum congerit ipse manu,
Congeriémque auri sic repperit. hinc pietatis
Gratia iusto homini nulla perire potest.

In felicitatem, TIT. XXIX.

ANTIPHILI.

E pastu rediens, & nacta iuuenca pyrastrum

Cæca priùs, cœpit poſtmodò luce frui:
Alter enim ex oculis ſpinæ eſt ab acumine punctus,
Et vidit: viden' vt plus valet arte frutex?

In gratos, & ingratos, TIT. XXX.

ANTIPATRI.

Paruum Piſoni (natalia ſcripta) libellum
Vna perfectum nocte dat Antipater:
Accipiat bonus & facilis, laudétque poëtam,
Vt placant magnum thura puſilla Iouem.

AGATHIÆ SCHOLASTICI,
In ædem Mineruæ apud Ilium ſitam.

Alma faue arcitenens; equidem prædiuite templo
Te colui, infelix Troia, tuúmque decus:
Sed me feciſti prædam, mea mœnia vertens
Pro malo, tanti quæ fuit anſa mali:
Sat fuerat periiſſe Parin, qui ſi fuit exlex,
Immeritæ patriæ non ea culpa fuit.

In preces, TIT. XXXI.

DIODORI.

Te Nemeſis, hominum ſeruans veſtigia, ſeruet,
Quæ dea permultos fallere virgo ſolet:
Nam mihi ſunt ſuſpecta, & amabilis indolis ora,
Et fortis virtus, & bona conſilia,
Et ſapiens, Druſe ô iuuenis, ſolertia; quæ nos
Pignora de magnis credimus orta deis.

In animalia, TIT. XXXIII.

POLYÆNI.

Grande recens fœtæ quum cerneret vber alumnum

Fortè fero capreæ vipera dente ferit;
Hinnulus hinc mammæ trahit immedicabile vulnus,
Et lac de diro vulnerè triste bibit.
Sic illi mortem crudelia fata dedêre:
Quod dederat venter, abstulit vber ei.

PHILIPPI.

Æditui ante aras vitulam statuêre Dianæ,
Proxima quæ partûs, proxima mortis erat:
Sed certam antè mori partûs dolor occupat; & sic
Missa est cum reliquo fœtificare grege:
Nam grauidis vtero gaudet succurrere Diua,
Et quarum miseret sæpe, necare piget.

ARCHIÆ.

Non solùm curuo terram proscindere aratro
Nouimus; en naues extrahimúsque mari,
Remigióque boues assuescimus: Ergo iugales
Et tu delphinas, ô mare, arare iube.

GERMANICI CÆSARIS.

Excelso de monte lepus descendit in vndas,
Dum fugit ora feri dentibus aspra canis:
Sed neque sic mortem vitauit; scilicet illi
Correpto vitam sustulit æquoreus.
Vt miserè in flammam cadis ex igne; ô malè fato
Et maris & terræ debita præda cani!

EIVSDEM.

Ex cane me rapuit canis heu! animalibus vnum
In me odium est tellus quæ tenet, atque mare.
Ætheris, ô lepores, vobis via peruia sola est:
Imò & sidereum continet illa canem.

PHILIPPI.

Pernices æquans cursu venatica damas
Læsam habuit vuluam, mox paritura, canis;
Et tota obstructa est, longo durata cicatrix
Tempore; cùm partûs appetit hora minax,
Incisum est ferro genitale, ah multa gementi!
Sic aluo dulces exsiliunt catuli.
Iam valeas, Lucina, labor tuus irritus; ecce
Mars obstetricis cœpit obire vicem.

ANTIPATRI.

Venantem Lampona canem sitis aspra necauit,
Quamuis pro dulci multa timentem anima:
Humens quippe solum fodit pede; sed piger humor
De cæci fontis non properauit aqua:
Sic perijt Lampon; ceruorum protinus iram
Exstincto fluxæ vos posuistis aquæ.

ARCHIÆ.

Qui toties rapidis pedibus thoracas ahenos
Presserat, alipedes nobilis inter equos;
Quem Phœbi interpres clarauit Pythia palmis,
Cùm metam volucri vinceret ille fuga,
Et Nemea horrendi mater siluosa Leonis,
Pisáque, & in gemina conditus Isthmos aqua;
Nunc vinclo assuescens, ceu duro colla lupato,
Frumentum versans, aspera saxa terit,
Æmulus Alcidæ; qui post tot maxima facta
Tandem seruitij turpia vincla tulit.

CRINAGORÆ.

Lactis abundantem supra omnes, grandia quorum

Vbera mulſores euacuare ſolent,
Poſtquam guſtauit pinguem dulcedine capram
Cæſar, vult ſecum me quoque claſſe vehi:
Sidera adire etiam certum eſt: nam qui mea ſuxit
Vbera, cæleſti vix minor ille Ioue eſt.

INCERTI AVCTORIS.

Cur deſerta colens vobis ſum præda cicada,
Paſtores, plenis roris in arboribus?
Illa ego Muſarum non auia Muſa, per æſtum,
Fontéſque argutans, & per opaca iuga:
En turdum, & merulam, en tot ſturnos cerne, rapaces
Quæ ſunt arualis fertilitatis aues.
Fructibus, & ſegeti nocuos occidere fas eſt:
Frondis, & herboſi roris an inuidia eſt?

ARISTONIS.

Si vos panis amor ducit, ſecedite, mures,
(Cernitis hîc vilem nos habitare caſam)
Ite vbi caſeoli pingues, vbi ficus abundat
Arida, & heſternæ multa relicta dapis:
Quòd ſi iterum noſtros contingitis ore libellos,
Vos plorare dapis damna iubebo malæ.

ANYTÆ.

Purpureas aptans puerorum luſus habenas,
Hirce tibi, frænis ora piloſa tenent,
Circum templa Dei erudiunt certamine equeſtri;
Vt lætentur onus cùm puerile feres.

ADDÆI.

Alma laboranti in catulis Diana catellæ
Affuit, & partum iuſsit habere leuem:

Haud facilis solis vxoribus Artemis; ergo
Et venatrices seruat amica canes.

In vitam, Tit. XXXIV.

INCERTI AVCTORIS.

Astrologi mihi ter denos, ternósque bis annos
Mensuram vitæ constituêre meæ;
Hæc mihi sufficiunt, ætatísquè optimus hic flos:
Occubuit Pylius nempe ter ille senex.

In Echo, Tit. XXXV.

ARCHIÆ.

Lingua fauens, Echo præter me euade loquacem,
Si quæ audita refert verba, putanda loquax:
Protinus vt sileas, sileo, aut tua dicta repono:
Quæ lingua in terris iustior esse potest?

In mortem, & in mortuos, Tit. XXXVI.

AGATHIÆ.

Cur mortem horretis, genitrix quæ sola quietis,
Quæ morbos tristes, pauperiémque fugat?
Sola semel trepidis mortalibus accidit, & bis
Nullus eam sensit huc retulisse pedem:
Contrà morborum longa & numerosa caterua,
Nunc his, nunc illis incubat instabilis.

INCERTI AVCTORIS.

Morte mea gaudet Theodorus; at illius alter
Gaudebit: cunctos mors inopina manet.

ANTIPHILI.

Testa carens oculis, & plenum crinibus olim

Sinciput, elinguis oris & harmonia,
Debile vallum animæ, tumulóque carentis inanes
Relliquiæ, populi lacryma iuncta viæ,
Ecce iaces trunci propè summa, monésque videntes
Tam parcum vitæ quid iuuat esse suæ.

INCERTI AVCTORIS.

Ad Ditem facilis descensus; siue ab Athenis,
Seu contrà à Meroe funus & vmbra venis:
Ne procul à patria mortis te maceret hora.
Vnica ad infernos nos feret aura lacus.

ANTIPHILI.

Quid fugitis, latices fontani? quò tot aquarum
Sole abijt vobis antè perennifluis?
Nos dolor Agricolæ lacrymis obtriuit; aquarum
Quod fuit in nobis huius habent cineres.

INCERTI AVCTORIS.

Memphide fama volat sua fata ex Apide tauro
Scitatum Eúdoxum; sed non responsa tulisse:
Quî potuisset enim, quando Natura iuuenco
Verbáque, sermonémque, loquentiáque ora negauit?
Quum tamen obliquus stans pallia lamberet Apis
Postmodò venturæ mortis præsagia certa
Eudoxo dedit; ille statim est ereptus in Orcum,
Cùm tres & decies iam quinque peregerat annos.

In Deos, Tit. XXXVII.

ANTIPATRI.

Pastores, facilis valde est Cyllenius Hermes,
Nam lacte, & querno melle litatur ei;

Haud ſic Alcides, quem aries, vel pinguior agnus
Placat, & in toto victima lecta grege:
Sed fugat ille lupos; ſed ſi cuſtóſve, lupúſve
Cuſtodita vorat, quid pepuliſſe iuuat?

LEONIDÆ.

Quicunque hoc calcatis iter, ſeu forſan in vrbem
Ex agris, in agros ſeu remeare libet,
Ambo Dij, impoſiti cuſtodes finibus ambo
Adſumus: Hercules hic, hic ego Mercurius;
Ambo etiam faciles mortalibus: at pyra ſolus
Hercules ambobus deuorat appoſita;
Atque idem expediet, vel quæ maturior, vuam
Vel quæcunque acri cruda ſapore viret:
Haud mihi fruſta placent communia: qui feret ergo
Munera, vtrique ferat ſingula, nulla ſimul,
Ac dicat, Sume iſta tibi, Cyllenie; ſume hæc,
Hercule: non aliter iurgia noſtra cadent.

ANYTÆ.

Cypridis hic locus eſt; illi nam ſemper amicum eſt
De terra nitidum ſæpe videre mare,
Vt curſum nautíſque ſecundet, & vndique pontus
Horreat, illuſtrem conſpiciens ſtatuam.

LEONIDÆ.

Eurotas Veneri quondam, Cape, dixerat, arma;
Aut exi Spartâ; Mars furit vrbe ferox:
Cui dea molle infit ridens, Ero ſemper inermis,
Et Lacedæmonia non minus vrbe fruar:
Sic armis Cytherea caret: Spartana ſed arma
Ferre hanc, dicentes non pudet hiſtoricos.

NICARCHI.

Quid mihi tu Veneri, Tritonia virgo, molesta es,
Rapta ferens manibus munera nostra tuis?
Non te, si rectè meministi, in collibus Idæ,
Sed me formosam censuit antè Paris:
Parma quidem, & clypeus tua sunt; mea munera malum:
Sufficiunt malo bella priora meo.

In medicos, TIT. XXXIX.

ΝΙΚΟΜΗΔΟΥΣ, οἱ δὲ, ΒΑΣΣΟΥ,

Εἰς Ἱπποκράτην.

Ἱπποκράτης φάος ἦν μερόπων, καὶ σώετο λαῶν
Ἔθνεα, καὶ νεκύων ἦν σπάνις εἰν ἀΐδῃ.

Ἀντιστρέφον.

Εἰν ἀΐδῃ σπάνις ἦν νεκύων, καὶ ἔθνεα λαῶν
Σώετο, καὶ μερόπων ἦν φάος Ἱπποκράτης.

NICOMEDIS, siue, vt alij volunt,
BASSI, In Hippocratem.

Hippocrates hominũ est columen, decus, aura salutis,
Aula patet raris iam nigra funeribus.

Reciprocum.

Funeribus nigra iam raris patet aula, salutis
Aura, decus, columen est hominum Hippocrates.

LVCILLII,

In eos qui semper ægrotant.

Non miseros puto, vel deflendos luce carentes:
Sed qui in spem viuunt mortis, eos miseror.

In pisces, TIT. XL.

ANTIPATRI THESSALI.

Polypus æquoreæ protensus marginis ora
Laxabat multos sole calente pedes:
Sed nondũ indueratformam saxi; vnde aquila illum
Ex alto vt vidit protinus arripuit;
Sed cirris nexa infelix, atque in mare lapsa
Vitam cum præda perdidit illa suam.

PHILIPPI.

Incusans Boream super æquore fortè volabam
(Nulla etenim è Thraca me iuuat aura plaga)
Cùm me suauisonam sustollit aëdona dorso
Delphin, & volucrem me vehit æquoreus:
Remige sic tandem sine remis vecta fideli,
Delecto nautam voce canente meum.
Remigium semper Musis immune dedêre
Delphines: vera est fabula Arionia.

ISIDORI ÆGEODOTÆ.

Gynnichus ex vndis Polypum commisit arenæ,
Implicitæ nexus, vincla timénsque feræ;
Ille cadens somno implicitũ leporem implicat, heu qui
Forsan venantum fugerat ora canum!
Sic cæpit captus: sed piscem iecit in æquor
Gynnichus, & vitæ præmia habet leporem.

In formam, TIT. XLI.

ANTIPATRI.

Phœbe, bubulcus eras, & tu, Neptune, caballus,
Et serpens Ammon, Iuppiter albus olor;

Sola puella illos, te mutat forma puelli;
Nec suada est, isto vis in amore latet:
Pulcher at Euagoras, fraude immutabilis, omnes,
Siue puer, seu sit bella puella, capit.

INCERTI AVCTORIS.

Tres modò sunt Charites; sed quarta accedit ad illas,
Nempe suam vt Charites sic habeant Charita.

In iudices, TIT. XLIII.

PALLADÆ.

Ne domina vlla esset, quæ quondam serua fuisset,
Hic vetus est vulgò sermo; sed iste meus,
Ius nunquam dicat, qui causas egerit olim;
Quamuis eloquio vincat & Isocratem:
Nam qui mercedi semel est assuetus; amicis
Nec dare iura suis non inhonesta potest.

In orationum, seu versuum scriptionem, TIT. XLIV.

PARMENIONIS.

Versibus haud multis claudunt epigrāma Camœnæ:
Ne dolichum in stadio quærite, vulgus ait;
Qui dolichum currit, multis amfractibus errat:
At tenor in stadio rectus, & vnus erit.

CYRILLI.

Omne epigramma duos fas est absoluere versus:
Si tres addis; opus, non epigramma facis.

In mathemata, TIT. XLVI.

ANTIPATRI, In Aratum.

Hic paruus liber est doctè sapientis Arati,

Maxima qui tenui ſidera mente capit,
Siue errant, ſeu fixa manent; quibus orbibus ardens
Aula micat cœli, ceu ſaliente choro.
Ob tantum laudetur opus, ceu Iuppiter alter,
Lumina qui mundi lucidiora facit.

EIVSDEM.

Aſpera Theogenes Piſoni pocula ſignis,
Quæ magnum capimus æthera, bina dedit:
Nam duo ſciſſa ſumus de Sphæra; continet illud
Auſtrum, hoc Arctoæ ſidera cuncta plagæ:
Sed neque ſedem Vrſæ circumſpice; ſed duo in illis
Cùm diuerſa bibes, omnia ſigna vide.

Problema PTOLEMÆI, vt videtur Fl. Chriſtiano.

Sum leo ſtans ex ære; tubi mihi lumina bina,
Et dextro tubus eſt in pede, & ore fluens:
Dextri oculi ſaliens geminis cratera diebus,
Et læui tribus, & quattuor vnda pedis,
Sex horis os implebunt: Dic nunc quot in horis
Omnia idem facient, os, oculi, atque vola.

Aliud Problema.

Vterque noſtrûm bis decem trahit minas,
Et Zethus, atque frater: at ſi tertiam
Partem mihi aufers, deinde quartam Amphioni;
Tum ſex habebis, matris & pondus feres.

In ebrietatem, TIT. XLVII.

ANTIPATRI.

Nunquam heu, nauta, mari fides! retinacula terram
Siue tenent, terras anchora ſiue tenet?

In portu est submersus Ion : enare volentem
Vinxit vtramque meri vis violenta manum :
Nauales fugias choreas : fugit æquor Iacchus.
Dicta à Tyrrhenis lex fuit ista viris.

ARGENTARII.

Aurea comissor respectans astra, chorúmque
Hesperium, haud alias calce grauans choreas,
Et caput obnubens florum splendente corolla,
Exciui digitis fila sonora lyræ :
Sic mundam peragi vitam puto: namque Coronam
Semper habet mundus, semper habétque Lyram.

In nouercam, TIT. L.

CALLIMACHI.

Ornabat cippum putillus fortè nouercæ,
Cum vita mores prætеriјsse putans ;
Cùm puerum accliuis tumulo columella necauit:
Mortua priuignis ergo nouerca malum est.

In arcanum, TIT. LII.

LVCIANI.

Non recludendis sermonibus obde sigillum :
Seruatis opibus melior custodia linguæ est.

In templa, TIT. LIV.

ANTIPATRI.

Peruia quadrigis Babylonia mœnia vidi,
Et, iuxtà Alphæi rauca fluenta, Iouem,
Penduláque hortorum pomaria; deinde colossum
Solis, & excelsas vertice Pyramidas,

Mauso-

Mausolique ingens monimentum: verùm vbi vidi
Currentem Artemidis æthera adusque domum,
Cætera sunt obscura, nec extra magnus Olympum
Phœbus tale vllo tempore vidit opus.

EIVSDEM.

Portat in aligero quadruplex Victoria dorso
Ornantes totidem regia tecta deos:
Hæc bellatricem fert Pallada, & hæc Cythercam,
Hæc Martem intrepidum, hæc Amphitryoniadem;
Sic cælum alta tui affectant fastigia tecti,
O Romæ, Caï, præsidium patriæ.
Hercules inuictum esse, bonos Cypris hymenæos,
Mars robur, Pallas det tibi consilium.

MNASALCI, vel potiùs ANYTÆ, vt placet Fl. Christiano.

Stemus in vndifluæ subiecta margine ripæ,
Intuiti fanum Cypridis æquoreæ,
Et nitidum fontem, quem plurima populus vmbrat,
Quo flauæ Halcyones labra liquore rigant.

ADRIANI REGIS,

In tumulum Pompei in Ægypto.

Templa cui tot sunt, tumuli penuria quanta est!

In náufragium, TIT. LV.

IVLII LEONIDÆ.

Bina pericla vnis effugi Myrtilus armis,
Hæc bello pugnans fortiter, illa natans:
Naue Noto mersa, clypei sic cognita virtus
Me seruat belli fluctibus, atque maris.

ANTIPATRI MACEDONII.

Nunquam Hellesponti non est inuisa puellis
Vnda: Cleonice Dyrrhachis ista probat:
Ad Sestum quæ quum sponsum visura nataret,
Hellæum est picea fatum imitata rate:
Pauca inter stadia infelix amisit vterque
Sponsum Hero, sponsam Deïmachúsque suam.

ARGENTARII.

Inter vinibibas tu rupta Elæa lagena es,
Effuso è totis visceribus Bromio:
Irruit in te etenim graue saxum fulminis instar,
Quódque Dion, non quod iecerat ipse deus;
Hinc orti socios inter risúsque, iocique,
Déque tuo magnum vulnere murmur erat:
Non te equidem deflebo, euantis mater Iacchi,
Cum Semele sortem nacta lagena parem.

In nauigationem, TIT. LVI.

ANTIPATRI.

Agricola Archippus, quum diri insania morbi
Vicinæ morti languida membra daret,
Alloquitur natos, & ait, Mea pignora, aratro
Viuite contenti; sit ligo vester amor:
Nec vos fallacis malè tuta negotia ponti,
Nec vos nautarum vita operosa iuuet:
Quo mater durâ magis est iocunda nouercâ,
Hoc sterili terra est dulcior alma mari.

ANTIPHILI BYZANTII.

Dux ratis, inuentrix cursûs audacia ponti,
Quæ lucris hominum pectora sollicitas;

Per te ligna dolosa cauans, maris extudit artes
Tentantis lucri morte probatus amor:
Aurea secla essent; si quantùm distat ab Orco
Terra procul, tantùm distet ab Oceano.

SATYRI THVILLI.

Iam vaga tecta lutat Progne, iam per maris vndas
Exsinuans Zephyrus nautica vela ferit;
Iam fusi apparent per prata recentia flores,
Iam posuêre truces mármora aperta minas:
Anchora soluatur, trahat omnis machina naues,
Ducite iam funes, iámque onerate rates;
Hæc portus-custos, tibi mando & scribo Priapus,
Quisquis agis merces per freta longa tuas.

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

Lene quidem pelagus procliuas purpurat vndas,
Nec notat albentes horridus Eurus aquas,
Allisum scopulis nec triste reducitur æquor,
Nec furibunda suos verberat vnda sinus;
Sed Zephyri spirant dulces, argutat hirundo
De stipulis fictam figere docta domum:
Parce metu, nauta ô mercator, seu tibi Syrtem,
Siue oram Siculi littoris ire libet.
Tantùm aris portus-custodis adesto Priapi,
Vel scarus vratur, vel tibi boca rubens.

In naues, TIT. LVII.

ZELOTÆ.

Cur pinum æquoreis, fabri, me creditis vndis,
Montibus euulsam stirpitus ante Noto?

Omen ero infelix pelago, contraria ventis
Arbor, quæ in terra damna marina tuli.

SECVNDI.

Illa ego, quæ immẽsi ſum emenſa iter æquoris, & quæ
Sum toties placidis fluctibus vſa ratis;
Eurus quam triſtis neque ſubmerſit, neque terræ
Hiberni alliſit dirior vnda Noti:
De terra queror infida nunc naufraga flammis,
Nunc mihi de noſtro quæritur vnda mari.

MÆCII.

Cymba Hierodidæ fuit æquæua atque ſodalis,
Vitæ eadem & mortis quæ comes aſsidua,
Fidáque piſcanti ſemper ſocia; haud equidem vllas
Iuſtior hac vnquam cymba equitauit aquas:
In ſenium vſque aluit ſatagentem, & lumine caſſum
Condit, & ad manes vſque ſecuta viam eſt.

INCERTI AVCTORIS.

Compacta nauis ex opellis Cypridis,
Deſcendi in æquor (hinc deæ ortus vltimus)
Me fabricauit quippe formæ cocio,
Vocans meretricem, omnibus quæ amica ſim:
Eſcende ſodes, grande nec pretium peto:
Quiuis adeſto, quemlibet feram hoſpitem,
Subigite vt olim ſub ſolo, nunc ſub ſalo.

In inſulas, TIT. LVIII.

APOLLONIDÆ, ſiue, vt alij putant, ANTIPATRI.

O vtinam tot adhuc errarem obnoxia ventis!

Nam Latonæ aſſam non placet eſſe vagæ;
Non deſerta adeo lacrymarer; eheu miſeram me,
Græcorum claßis quàm mihi multa natat!
Nunc abijt Deli ille decor, Iunone volente
Sera, ſed infelix hæc mihi pœna venit.

ALPHEI MITYLENÆI.

Latonæ partûs altrix ſacra, Iuppiter auctor
Immotam Ægæo quam dedit eſſe mari:
Non te ego per geminos miſerã, tua numina, diuos
Aio; nec Antipatri non bona verba ſequor:
Quin felix nato dicêris Apolline, nec ſe
Dixerit ortum alia ſede Diana ſoror.

ANTIPHILI.

Nũc ſum Cæſaris, vt fuerã Rhodus inſula quondam
Solis: idem tribuit lumen vterque mihi:
Iamdudum exſtinctam tua me lux, Phœbe, retexit;
Et nunc clarauit me Nero luce ſua:
Vtri à me potior debetur gratia? nam me hic
Submergi vetuit, extulit ille mari.

In vinum, TIT. LIX.

PHILIPPI.

Florentem platanum terræ proſtrauit ab ima
Radice pluuij me grauis aura Noti:
Pòſt erecta fui, poſtquam me Bacchicus imber
Proluit, æſtiuo gratior imbre Iouis:
Mortua ſic vixi, ſic poto ſola Lyæo,
Proſtratis reliquis erigor arboribus.

MELEAGRI.

Lauerunt Bacchum, cùm exiret ab igne puellus,

Sordidum adhuc multo puluere Naïades:
Pro quo Bacchus amat nymphas; sed si prohibeßis
Misceri, flammas rursus adire volet.

NICERATI.

Instar equi ingentis vati sunt vina vetusto,
Aquam bibenti non fluit carmen bonum;
Hæc dixit, Bacche, haud vno inspiratus ab vtre
Cratinus; omni sed refusus dolio:
Nam sertis redimitus erat, multísque corollis,
Edera reuinctus frontem ad exemplum tuum.

In aues, TIT. LX.

ARGENTARII.

Parce super quercu argutos emittere cantus,
O merula, & summis stare cacuminibus:
Hæc inimica tibi est arbos; quin huc ades, vmbras
Quâ fronde ex viridi vitis opaca facit;
Fide istis potiùs ramis, circúmque, supráque
Ne pigeat dulcem fundere ab ore sonum:
Namque infestum auibus quercus fert ardua viscum,
Hæc vuas: vates denique Bacchus amat.

PHILIPPI.

Vimineo missus viridis de carcere, siluas
Æmulus humani Psittacus oris adit,
Cæsareo semper meditans in honore salutem,
Cæsareum nomen per nemus omne tulit:
Mox accurrit auis, didicit, certauit & omnis,
Quæ prior hoc posset dicere, Cæsar aue:
Duxit per montes Orpheus animalia, Cæsar;
Verùm iniussa tibi iam canit omnis auis.

ANTIPHILI.

Miror apum latices, & ab æthere sponte fluentes
Et cellas, ex se quas noua cera facit,
Gratia quæ vitæ gratis data, non boue, curua
Aut falce, aut duri dente ligonis egens:
Vase sed exiguo, quo dulcem larga liquorem,
De paruo quamuis corpore, fundit apis:
Saluete innocuæ, & teneros depascite flores,
Ætherij volucres nectaris artifices.

ARGENTARII.

Cur mihi dulcem, ales, somnum eripis, éque cubili
Euolat heu! Pyrrhæ dulcis imago meæ?
Has soluis grates, hæc præmia, quòd volui te
Ouiparo, infelix, imperitare gregi?
Iam faxo sileas, iuróque Serapidis aram:
Nam iurata mihi mox datur ara tibi.

ANTIPATRI.

Ex geminis pedicis nuper pinguem altera turdum,
Et merulam è setis altera cæpit equi:
Sed turdi corpus iam grande, ad lumina vitæ
Non rediÿt nexæ è carcere decipulæ;
At merula eripuit leto se, vt dulcibus, hospes,
Retia carminibus parcere surda putes.

INCERTI AVCTORIS.

Garrula multisonam mellita voce cicadam,
Fercula pignoribus, Atthi puella, tuis,
Aligera aligeram, externam peregrina, sonoram
Stridula, vernantem veris amica rapis;
Non subitò mittes? neque enim, lucinia, fas est,
Nec vatum vates ore perire decet.

In lusum, TIT. LXI.

AGATHIÆ SCHOLASTICI,

Plebs hominum si quid facimus memorabile factum,
Nomen momento temporis omne perit:
At clari, nihil ut faciant, tantummodo anhelent,
Ut vir ait Lybicus, hoc adamante manet.
Nam Zenonem olim, sceptro qui temperat urbem,
Ludentem incertis forte, vel arte cubis;
Sic variata virum positura fefellit, ab albo
Postremam retro cùm veniente viam
Septem sextus habebat, & unam nonus, erátque
Æqualis decimo summus habens geminas;
Qui sequitur summum accepit duo; deinde regebat
Et calcem monadis, quæ fuit ima, Dibus:
At Niger & binas octaua in sede reliquit,
Tótque alias rursus sub positu undecimæ:
Ast aliæ similes duodenum circiter ibant;
Tessera terdecimo dum iacet una loco,
Antigonum iactum bijuges tenuêre; sed ipsi
Quindecimo ipsa eadem sede figura manet;
Octauo & decimo similis: tum denique quartus
A postremo alias obtinuit duplices;
Rex albæ calcis sortitus signa, futuram
Necdum mente valens cernere decipulam,
Cùm ternas temerè calces fecisset, & imos
Celaret turris lignea parua gradus,
Bina, & sex, & quinque reducens, protinus octo
Tota prius sectim dissociata capit.
Iam tabulam fugite omnes; Rex ipse nec huius
Effugit sortes, quæ ratione carent.

In vafros, TIT. LXII.

CRINAGORÆ.

Nasorum pressum Ligur ementitus acumen
Ad mala procliuis, non bona consilia est.

In solatium, TIT. LXIII.

PALLADÆ.

Triste, ingénsque malum est diræ exspectatio mortis;
Scilicet hoc lucri funus inane facit:
Mitte igitur frustrà vita lugere carentes;
Post mortem clades altera nulla venit.

In fontes, TIT. LXV.

STATYLLII FLACCI.

Hinc hauri tacitus: Cur verò? Ah ne amplius hauri!
Quidni etiam? tacitis quòd mea dulcis aqua est.

ANTIPHANIS.

Fons olim fueram plenis circumfluus vndis;
Nunc mihi vix restat guttula pauper aquæ:
Namque cruentatas dum sordes eluit amne,
Fœdauit latices tunc homicida meos:
Tempore iam ex illo Solem fugêre puellæ
Naiades, & sedes deseruêre suas:
Non Marti, aiebant; potiùs iungamur Iaccho:
Non facit ad puras ille cruentus aquas.

INCERTI AVCTORIS,

In Salmacidem.

Si vir es, hocce sitim poteris de fonte leuare:
Ne causare, animus si tibi mollis, aquam:

Nempe viris placeo solis ego masculus humor:
Verùm hæc natura est mollibus vnda viris.

In poëtas, TIT LXVIII.

ALPH. MITYLENÆI, In Homerum.

Luctum etiam Andromaches audimus, adhúcque vi-
Pergama quæ Troiæ funditus alta ruunt: (demus
Quæque pericla Aiax vrbis sub mœnibus hausit;
Et quem traxerunt Hectora Achillis equi:
Carmina Mæonidæ hoc faciunt; quem non patria
Verùm terrarum limes vterque colit. (vna,

INTERROGATIO HOMERI.

Dicite, piscatores Arcadici, ecquid habemus?

Responsum.

Capta relinquuntur nobis, non capta feruntur.

PHILIPPI, In eundem.

Astra priùs deerunt, deerunt priùs ætheris ignes,
Noctis & obscuræ Sol priùs ora dabit,
Atque maris potiùs patiens erit æquor aratri,
Et repetent superos ossa sepulta locos,
Quàm letho clari nomen mandetur Homeri,
Scriptáque surripiat tam bona tempus edax.

INCERTI AVCTORIS, In nouem Lyricos.

Pindare Musarum sanctum os, & garrula Siren
Bacchylide, & Sapphûs Æolides Charites,
Scriptáque vinosus quæ lusit Anacreon, & qui,
Stesichore, hausisti flumina Mæonidæ,
Et dulcis monimenta Simonidis, atque Suada

Ibyce, quíque maris messor amoris eras,
Ensis & Alcæi, qui regum sanguine tinctus
Seruauit patriæ libera iura suæ:
Virginibúsque olim cantata Alcmanis aëdon,
Saluete ô finis, principiúmque Lyræ.

INCERTI AVCTORIS,
In Sapphum.

Lesbides, ad templum magnæ Iunonis adeste,
Molliter & fixo concelebrate pede;
Hîc lætam diuæ choream instaurate, præibit
Auratam Sappho docta tenens citharam.
O saltaturæ felices, fundere vt ipsam
Suauia credatis carmina Calliopam.

INCERTI AVCTORIS,
In Erinnam.

Lesbius Erinnæ dulcis, paruúsque, sed omnis
Musæi fragrat mellis odore fauus:
Æquat Homeræas tercentum in versibus artes
Virgo annos tantùm nata decem atque nouem:
Quæ, matris quamuis metuens, telámque, colúmque
Tractaret, Musis fida ministra fuit:
Erinnam in Lyricis quantùm Sappho premit odis,
Tantùm Erinna Epicis præstat in hexametris.

INCERTI AVCTORIS,
Tanquam à libro Lycophronis.

Haud temerè implicitos semel ingressus labyrinthi
Flexus, inuenias lucis aperta facul.
Tales bacchatur Priami Cassandra loquelas,
Quas Regi obscurè nuntius expediit.

Si te Phœbus amat, manibus euolue; sed hospes
In Musis; manibus non leue habebis onus.

ANTIPATRI THESSALI.

Contentæ exiguo replentur rore cicadæ;
Sed potæ cycnos vel superare queunt:
Sic vates de se meritis bene, docta reponit,
Quamuis pro paruis, carmina, muneribus:
Ergo redhostimus primùm tibi munera: quòd si
Fata sinant, mea te pagina sæpe canet.

CRINAGORÆ.

Tersa hæc Callimachi sunt carmina: scilicet omnes
Musarum funes mouit in hoc opere:
Quo paruas Hecales veteris canit hospitis ædes,
Et quicquid Theseus in Marathone tulit:
Cuius ego opto tibi robur, Marcelle, iuuentæ,
Et laudes, vita cum meliore, bonas.

INCERTI AVCTORIS.

Herodotus Musas acceperat hospes: at illi
Hospitij librum præmia quæque dedit.

In pastores, TIT. LXVIII.

ERYCII.

At per Pana, bubulce, hæc fagina grandis imago,
Cui tu lacte facis, dic mihi cuja siet?
Hic colluctator Tirynthius ille leonis:
Non arcum, & clauam, stulte bubulce, vides?
Salue, tauriuore Alcida, seruánsque benignus
Hæc stabula, è paucis mille repone boues.

INCERTI AVCTORIS.

Dum pecus attondet, Pan, gramina, carmina conde
Curua sub auratos labra ferens calamos:
Scilicet vt multo distenta sua vbera lacte
Ad Clymeni poßint crebra referre domum,
Eructétque rubrum hirsuto de pectore sanguen
Vir gregis ipse aras stans caper ante tuas.

In vrbes, TIT. LXX.

AGATHIÆ SCHOLASTICI,
In Troiam.

Quò tua nunc abiêre, vrbs, mœnia? quò pretiosa
Fana, & cæsorum tot capita alta boum?
Quò Veneris bene olẽs alabastrũ, atque aurea vestis?
Quò nunc indigenæ Palladis effigies?
Omnia tempus edax, bellúmque, inuictáque fata
Abripuêre, alia sorte dédêre frui.
Inuidia ò quantum nocuit tibi! sed tua nusquam
Celari virtus, nec tua fama potest.

ADRIANI REGIS, siue, vt alijs placet, GERMANICI.

Si sub terra audis, Hector Mauortie sanguis,
Salue, & paulisper verte animum ad patriam:
Troia habitatur adhuc vrbs inclyta, Martia corda
Quæ fouet, at meritis inferiora tuis:
Myrmidones periêre: ades ô dicturus Achilli,
Thessalia Aeneadum tota sub imperio est.

AGATH. SCHOLASTICI, In idem.

Ne me, si Sparta est tibi patria, riseris, hospes;
Fortuna hæc soli non mihi iniqua facit:

Sin fortè ex Asia es, scitari desine plura;
Omnis Dardanios vrbs colit Æneadas:
Quòd si fana Deûm, & ciues, & mœnia Martis
Æmula vis potuit depopulare mihi,
Sum rursus Domina: ô fortis mea, Roma, propago
Græca tui iuris subijce colla iugo.

EIVSDEM, In idem.

Hæc est vrbs Priami quõdam inclyta, quã nec aperto
Graij Marte, annis nec domuêre decem;
Roborei sed fraude feri: ò vixisset Epeus,
Antè dolum duri quàm fabricasset equi:
Non sic, Atridis per tecta ferentibus ignem,
In lapides caderem, magna ruina, meos.

ANTIPHILI, In idem.

Insidias Danaûm, perijt queis Troia, decennes,
Et fœtum armata cerne quiete ferum:
Pallas iussit opus, solers fabricauit Epeus,
Sessile tergum intus Græcia multa subit:
Frustrà tanta manus perijt, si ad munera Martis
Virtutem Atridæ posthabuêre dolo.

POMPEII, siue, vt alij volunt, MARCI IVNIORIS, In Mycenam.

Etsi hîc iam puluis iaceo deserta Mycene,
Horridiórque omni sim penitus scopulo;
Qui celebrem aduertet Troiam, calcatáque nobis
Mœnia, tum Priami diruta regna senis,
Hinc norit, fuerit quæ nostra potentia; quòd si
Læsa annis, testis sat mihi Mæonides.

ANTIPATRI.

Quô decor ille abijt quondam tuus? aut vbi nũc sunt
Et turres, & opes, Dori Corinthe, tuæ?
Atque ædes, & templa deûm, populosáque gentis
Olim turba tuæ, Sisyphiæque nurus:
Namque nec ipsa tibi superant vestigia, verùm
Belli corripuit omnia tempus edax:
Solæ haud euersæ Halcyones Nereïdes: en nos
Stirps canimus luctus, Oceanina, tuos.

ONESTI CORINTHII.

Harmonies sacer est, incestus contrà Hymenæus
Oedipodæ; Antigonam dixeris essè piam,
Impia sed fratrum discordia: diua sit Ino,
Sed miser est Athamas; mœnia prima Lyra
Fundauit, verùm malè concors tibia vertit:
Sic auctore deo sunt mala mixta bonis.

IOANNIS poëtæ Barbocalli,
In Beryti incendium.

Vrbs ego, nec tamen vrbs, infelix, ciuibus vnà
Cum miseris iaceo ter miseranda meis:
Vulcanus domuit me post Neptunia bella;
Heu de tam pulchro lumine resto cinis!
Sed tu præteriens luge mea fata, viator,
Beryto exstinctæ liba etiam lacrymas.

In improbos, TIT. LXXI.

ARCHIÆ.

Purpureas solitus furari Hecatonymus vuas,
Furtiui flagris palmitis vstus obit.

In fluuios, TIT. LXXIII.

ANTIPHILI.

Cur stagnans magno fluis, & ruis impete, torrens,
Et pediti tollens cornua claudis iter.
Tene ebriant imbres, & clarum, quicquid aquarum
Venit ab impuris nubibus, esse vetat?
Ad Solem demum torrebere, flumina cuius
Et non legitimas arguit ardor aquas.

INCERTI AVCTORIS.

Palmarum genitrix, Iouialis amabilis vnda
Alphæe, in Pisæa fluis qui leniter arua
Primitus; at postquam pronum descendis in æquor,
Tum rapidus maris immensi sublaberis vndas,
Et dux ipse viæ, atque tuorum vector amorum,
Vuidus ad Siculam sponsus properas Arethusam:
Illa autem excipiens defeßi pectus anhelum,
Algas, & pelagi flores mutantis amaros
Abstergens labris componit labra, velútque
Nympha amplexa suum per dulcia vincla maritum,
Sedat Olympiacos gremio mulcente labores,
Vndáque sanguineo miscetur pura liquori,
Inde Syracosij tibi nulla cupido cubilis:
Mox & purpureo pressam, plausámque pudore
Scindis aquam, metuens thalamos confundere ponto:
Sæpe & blanditijs thalami cogentibus actus
Coniugis in liquidæ solitum venturus amorem
Stas puros spectans latices Arethusidos vndæ:
Te contra illa tuens, iuxta aspera saxa Pelori,
Vndantem lacrymis etiam miseratur amantem
Pulchra Arethusa suum, mammas cum pectore pulsat,

Roris tabeſcens roſei inſtar; fónſque Sicanus
Luctibus ipſe ſuos Piſæi fluminis addit.

In pauperes, TIT. LXXIV.

PHILIPPI.

Nico præteritas annoſa legebat ariſtas,
Vt miſeram poſſet ſic inhibere famem;
Verùm æſtu enecta eſt: ſociæ ligno abſque puellæ
Spicarum ex ſtipulis huic ſtatuêre rogum.
Alma Ceres, ignoſce: hominem tellure creatam
Seminibus terræ ſi pueræ induerint.

In ſapientiam, TIT. LXXVI.

APOLLONIDÆ.

Conſpecto Eurota, clariſsimus Auſonidarum
Ælius, ô Spartæ ſalue, ait, vnda bonæ;
Muſarúmque libros dum vult euoluere, vidit
Ingenij docilis vertice ſigna ſuper,
Vitæ imitatrices picas, genus alitis ore
Omniſono iuga per montis opaca canens:
Hinc ſtudijs hæſit; quidni labor ille petatur,
Si diſcunt noſtræ murmura vocis aues?

NESTORIS.

Carmina quid nimio turbatis noſtra tumultu?
Nempè equitare equites, norunt cantare poëtæ:
Quòd ſi equitàre bonus, fuerit cantare paratus;
Nec bonus eſt equitare, nec eſt cantare peritus.

In temperantiam, TIT. LXXIIX.

ANTIPATRI THESSALI.

Hæc natæ Antigenes mandauit verba Gelonus,

Infera cùm Ditis regna aditurus erat,
Formosa ô virgo, mea nata, colum tibi sume;
Sufficiens vitæ est pauperis illa comes:
At nubenda bonos mores secteris Achææ
Matris: dos certa est, nec perit illa viro.

PALLADÆ.

Incussi impuro ventri ex ratione pudorem,
Durum castigans ile pudicitia:
Nam si mens animi est humili sublimior aluo,
Quidni huius victor inferioris erit?

EIVSDEM.

Nulla pudicitiam forma arguit; alloquor illos
Quoscunque illudens fortè fefellit amor.
Nec peccare solet semper formosa, nec omni
Deformis semper suspicione vacat:
Inuenias etenim quæ raræ conscia formæ
Non eat ad dantes: sæpe etiam videas
Non pulchras, ruere in veneris tamen arma paratas,
Et quæ vltro poscas tu modò, sæpè dabunt:
Non quæcunque viros non aspicit, oráque risu
Non soluit, vel habet triste supercilium,
Ista satis certa est probitatis norma pudicæ:
Sæpe etiam quæ clam mœcha, seuera palam est:
Et quæ læto homines aspectant ore, pudicæ;
Fœmina si castæ est vlla pudicitiæ.

AGATHIÆ.

Vita quidem cœlebs laudanda est; sin minus, ah ne,
Ne tua masculeus pectora tentet amor!
Fœmineus non grande malũ est; nam fœmina nata est
Ad venerem, & flammæ furta Cupidineæ.

Aſpice quæ ratione carent animalia, nulla
Legitimi fœdant fœdera ſancta tori:
Fœmina namque mari coniungitur; at miſeri ehen
Mortales peragunt mutua connubia!

In fortunam, TIT. XXC.

LVCIANI.

Nuper Achæmenidæ fueram, nunc villa Menippi,
Inque alium rurſus transferar ex alio.
Credidit ille ſuam me olim, nunc autumat iſte:
Me Fortuna tamen ſola magiſtra tenet.

APOLLONIDÆ.

Fama aures tetigit Melitinæ nuntia, natum
Cùm propria merſum merce fuiſſe mari;
Mox ripæ adpulſum conſpexit fortè cadauer
Alterius, ſortis triſtia ſigna ſuæ:
Iuſta facit tanquam nato: cùm protinus ecce
Incolumi ſaluum naue Diona videt.
Heu quam diſsimilis matrum fortuna! inopinè
Hæc viuo fruitur; illa, nec oſſa videt.

AGATHIÆ.

Multa laborabat piſcator in æquore, cuius
Diues amore arſit fortè puella videns;
Coniugio eſt dignata inopem; qui, vt ceſsit egeſtas,
In faſtus cœpit luxuriare nouos;
Arriſit Fortuna adſtans, Veneríque ſubinde,
Non tuus hic ludus; ſed meus, inquit, erit.

INCERTI AVCTORIS.

Haud fortuna volens huc te prouexit, at edens
Hoc in te ſpecimen, omnia poſſe docet.

AGATHIÆ SCHOLASTICI,
In Magiſtratum dignitate exutum.

Quò nunc illa fremens iactantia? quò citò fluxit
Turba aſſentatrix te comitata diu?
Nunc patria extorris longè fugis, & tibi ius dat
Afflictos à te ſors miſerata priùs:
Gratia multa tibi, illuſtris Fortuna, quòd omnes
Sæpe ita deludens, gaudia noſtra facis.

EIVSDEM.

Qui de paupere fit diues, qui ſurgit in altum
Antè humilis, ſortis non memor ipſe ſuæ eſt,
Spernit amicitias veteres, ſtultúſque cadentis
Lubrica fortunæ gaudia noſſe nequit:
Nam mendicus eras quondam miſerabilis; at quæ
Mendicaſti, alijs paucula fruſta negas:
Omnia mutantur, bone vir; ſi credere non vis,
Rurſus mendicans, tu tibi teſtis eris.

LVCIANI.

Multa poteſt, inopina licet, diuina poteſtas;
Deprimit hæc celſos, hæc humiléſque leuat:
Illa tuos etiam poterit compeſcere faſtus,
Aurea te quamuis ditet arena Tagi:
Parcere ſcit maluis ventus; ſed grandia ſiluæ
Robora, ſed platanos ſternere nouit humi.

In ſuperbiam, TIT. XXCI.

INCERTI AVCTORIS.

Mutatus ſubitò eſt Cornelius, ac neque noſtra
Frugi illum & tenuis Muſica vita iuuat:
Spes leuis hunc lactat; iam nil ſumus, vt priùs, illi

Excidimus, pendet speribus ille nouis:
Cedendum, ô anima, est nobis, nam vincimur, aufer
Obniti; argenti en arte iacemus humi.

In inuidiam, TIT. XXCIII.

PALLADÆ.

Tristior inuidia est miseratio, Pindarus inquit:
Inuidiosa etiam vita beata venit:
Sed nimiùm miseros miserescimus; ô vtinam sim
Nec nimis infelix, nec miserandus ego:
Optimus in mediis locus est; obnoxia summa
Casibus, opprobriis ima patere solent.

EIVSDEM.

Si quis virum odit, quem Deus lubens amat,
Videtur ille perperam stultissimus,
Pugnare apertè cum Deo contrarius,
Irámque magnam ex inuidentia capit:
Nam fas & æquum amare quem Dij diligunt.

INCERTI AVCTORIS.

Turpe malum, liuor: sed in hoc tamen vtile, nempe
Tabida liuentum lumina, córque facit.

In amicitiam, TIT. XXCV.

INCERTI AVCTORIS.

Bacche, edera gaudes, & Iuppiter ægide, ciues
Hospitibus; sic vrbs ciuibus ista suis.

INCERTI AVCTORIS.

Heliodore, ingens bonus est thesaurus amicus,
Si seruare potest, qui semel inueniet.

INCERTI AVCTORIS.

Verus amicus ego ſum, & amicum noui vt amicum;
Verùm omnes odi plus cane & angue malos;
Indocilis ſimulare, atque aſſentirier vlli,
Quos primùm colui, ſemper amare volo.

In philoſophos, TIT. XXCVI.

INCERTI AVCTORIS, In Platonem.

Facundæ ô præſtans os Atthidos; haud potis omnis
Græcia ſermones æquiparare tuos:
Primus adúſque Deum, & cœlum pia lumina tollens
Mores & vitam es, dîe Plato, intuitus,.
Socratico miſcens Samium cratere liquorem;
Sancti diſsidij quæ monumenta dedit.

In amorem prolis, TIT. XXCVII.

ALPHEI.

Sub thalamo alarum pullos gallina fouebat,
Hiberna accipiens vellera denſa niuis;
Ac contra aëriam glaciem durauit, iniquo
Sub Ioue, donec eam frigora dura necant:
Audite ô Progne, & Medea; & prolis amorem,
Si pudor eſt, matres, diſcite ab alitibus.

INCERTI AVCTORIS.

Ereptum Iliacis per tela hoſtilia flammis
Æneas tollens, pondera ſancta, patrem
Clamabat Græcis, ô parcite; de ſene Mauors
Parua reportabit præmia, magna, gerens.

ANYTÆ.

Quum peragrata omnis tellus ſit & inſula, Progne,

Medeæ in statua nidificare paras.
An fidei credis tua pignora Colchidos? eheu
Quæ proprijs nequijt parcere pignoribus!

MENECRATIS SMYRNÆI.

Extulerat iam tres infelicißima natos
Mater, & incusans tristia fata deûm,
Enixa est quartum; dubiam sed noluit in spem
Tollere, viuum igni tradit adhuc puerum:
Non lactabo, inquit, ne dent operam vbera Diti:
Sic leuius damnum sponte lucrifaciam.

In curas, TIT. XXCIX.

PALLADÆ.

Si quid cura potest, curis incumbe seuerus;
Sin tu cura Dei es, cur tibi cura alia est?
Nulla erit absque Deo tua cura, incuria nulla;
Vtque aliquid cures, curat & ipse Deus.

In tempus, TIT. XC.

PLATONIS.

Omnia fert ætas, mutatáque tempore longo
Natura, & nomen, formáque, sórsque cadunt.

PALLADÆ.

O quàm voluptas est breuis mortalibus!
Lugete tempus omne momentaneum,
Lauti sedemus, vel quieti stertimus
Labore defeßi, interim currunt dies,
Currunt fugaces ante nos miserrimos,
Vitæ afferentes omnibus catastrophen.

INCERTI AVCTORIS.

Omnia prætereúntque, cadúntque: tua vtere forma
Ex hædo aſprum æſtas perficit vna caprum.

INCERTI AVCTORIS.

Vita roſæ breuis eſt & momentanea: nec tu
Deinde roſam ſperes, ſed reperire rubum.

In horas, & menſes, TIT. XCI.

INCERTI AVCTORIS,
In Romanorum menſes.

Primus Conſulibus menſis; ſecat arua ſecundus;
Tertius Auſonios ad Martia prouocat arma;
Quartus purpuream Veris prænuntiat horam;
Aſt ego gigno roſas; Ego candida lilia porto;
Iſte metit ſegetes; Nilum mea flabra fatigant;
Vitifero Baccho longè gratiſsimus ille eſt,
Ipſe fero mentes hilarantis pocula Bacchi:
Fercula grata viris, & habent ſua nomina, porto;
Et pulſare fides noui, & depellere ſomnos.

INCERTI AVCTORIS,
In Vernum tempus.

Poſt ſæuas hyemes & iniquæ frigora brumæ,
Florida purpurei rident iam tempora Veris;
Iámque ſuis tellus viridantes floribus herbas
Cingit aperta ſinus, ramíſque & frondibus ornat
Omne nemus, matutinis cùm prata pruinis
Diſtillant, panditque ſuos roſa punica honores:
Iam quoque ſeruantes, ſua fiſtula, monte capellas,
Paſtores iuuat, & teneros cum matribus hœdos
Aſpicere in plena ſpatiantes ludere arena:

Vela vocant nautas, Zephyri iam lintea dulces
Expandunt, crispant leni maria alta cachinno:
Iámque racemifero lætus dat iubila Baccho
Rusticus, & variis ederis sua tempora velat:
At sua taurigenis apibus, solertia mellis
Fingendi curæ est, plenóque saporibus alueo
Multiforæ solidant castella tenacia ceræ:
At pictæ volucres querulis loca cantibus implent,
Halcyone fluctus, vaga tecta fatigat hirundo,
Littora olor, siluæque vmbras resonantis aëdon:
Quòd si iam rident plantæ, si florida tellus
Dulce viret, gracilique omnes modulantur auena
Carmina pastores, si stratum ascendit in æquor
Nauita, & indulget choreis Dionysius Euan;
Si passim exsurdant volucres loca cantibus, & si
Excudunt molles certatim examina ceras,
Quidni dulce nouo carmen nunc Vere canamus?

Monostichum THEONIS,
In hebdomadem.

Luna, Venus, Mars, Saturnus, Sol, Iuppiter, Hermes.

225

EX LIBRO SECVNDO ANTHOLOGIÆ DIVERSORUM Epigrammatum veterum.

In pugiles, Tit. i.

LVCILLII.

AD patrias ædes tardè remeantis Vlyßis
Agnouit faciem, post tria lustra, canis:
Te pugilem, Stratophon, tantùm per quattuor horas
Nosse vrbs non potuit, quem potuêre canes:
Quin si te in speculo tua non piget ora videre,
Mox & iuratus te Stratophonta neges.

NICARCHI.

Charmus in Arcadia cursu certabat, & vnà
Quinque alij, & mirum, septimus ipse cadit:
Quî pote, quum sint sex, vt septimus? huius amicus
Vestem indutus ait, Charme, bono esto animo;
Septimus hoc pacto est: si quinque habuisset amicos,
Zoile, venisset tardior vndecimo.

LVCILLII.

Pisæo cranium regi pugil en dicat Aulus,
Diuulsa accumulans, singuláque ossa legens:
Sin Nemeam euadet, forsan tibi, Iuppiter, addet
Et talos, possunt qui superesse, pedum.

In rapaces, Tit. iv.

AVTOMEDONTIS.

Quam tibi, Phœbe, fero, cœnam cape: si modò nullus

Hoc vetet: An tu etiam, Phœbe, timere potes?
Quem metuam, Arrius est vnus, pollente rapacem
Qui miluum potis est exsuperare manu:
Nam nidore carente ara, cùm sacra peregit
Æditııus, cùm sit missio, cuncta rapit.
Ambrosia absque Iouis, mortalis vita mihi esset,
Tentaret diuos si malesuada fames.

In libidinosos, TIT. V.

INCERTI AVCTORIS.

Duxit Apollophanes vxorem, hoc nomine tantùm
Quòd suspectus erat: per medium ergo forum
Exspatians sponsus, Sobolem cras, inquit, habebo,
Processit sola suspicione parens.

In astrologos, TIT. VI.

LVCILLII.

Natalem ipse suum postquam descripserat Aulus,
Fatum instare sibi rettulit Astrologus
Victuro tantùm quadrihoria; verùm vbi quinta
Præterit, húncque artis nescia vita manet,
Heu magni puditum est Petosiridos! hic trabe ab alta
Suspendit sese, nil moritúrque sciens.

Huic epigrammati hæc de suo addidit Fl. Christianus.

Nempe mori ignarum, quàm ignarum viuere præstat:
Sat vixit, quisquis plurima sciuit heri:
Non tamen ille sciens vixisset serior Aulus;
Nescire ergo illi quî nocuisse potest?

INCERTI AVCTORIS.

Anticrates meliùs cælestia norat Arato;
Sed genitura illi non sua nota fuit:
Nam dubitare aiebat an esset in ariete natus,
Piscibus an binis, an potiùs Geminis:
In tribus inuentus tamen est; nempe ille subactor,
Helluóque & fatuus, mollis & esse solet.

INCERTI AVCTORIS.

Calligenes, iacta in terram semente, colonus,
Ædes astrologi venit Aristophanis,
Quippe rogaturus felíxne futura sit æstas,
Et sibi num frugum copia grandis erit:
Ille autem numerans tabulâ dum multa recenset,
Dum digitos curuat, Calligenem alloquitur,
Si quantum satis est pluuio madefiat ab imbre,
Si nulla est silua luxuriosa seges,
Si sulcos glacies non tentat, si neque aristas
Nascentes populat grandinis ira malæ,
Si neque depascit teneras tenerum pecus herbas,
Si tibi non aër, non tibi terra nocet,
Mox tibi erit felix æstas, me vate; locustas
Tantùm, cùm segeti falx erit apta, caue.

In pusillos, TIT. VII.

LVCILLII.

Agrum Menophanes emit, quercúque pependit
Non sua; at hoc voluit imperiosa fames:
Deerat agro tellus, domini tectura cadauer,
Emptáque finitima est, vt tumuletur, humus:

Quod si Menophanis Epicurus nosset agellum,
Omnia, non atomis, plena putasset agris.

In vetulas, Tit. IX.

LEONIDÆ.

Duxit anum iuuenis, duodennem ætate senecta;
Intempestiuam semper habens venerem,
In sterilique serens mansit sine prole Philinus;
Nunc alijs ducta coniuge, vtroque caret.

NICARCHI.

Cana anus, & vetulo verbosa Cotyttaris ore,
Nestora quæ Pylium non sinit esse senem,
Quæ cerui ætatem superat, cuiúsque secundam
Læua senectutem iam numerare potest,
Et videt & valet, & viuit ceu virgo puella,
Vt dubitem an funus Dis pater ipse fuat.

MACEDONII.

Cerussa meliore genas distende macentes,
Poblilua, ô pœnas iure luens populo:
Sed ne labra aperi: non est obnoxia fuco
Illa oris series, dentibus apta priús.
Gratia quanta fuit, fluxit tibi; nulla tuis quit
Splendorem membris reddere terra fluens.
Ceu rosa verna priùs florebas: nunc nimiæ æstas
Ætatis florem torret adusta tuum.

INCERTI AVCTORIS.

Niconoën facilè credo vixisse puellam,
Deucalionæas cùm tulit orbis aquas:

Illa incerta quidem nobis, hæc nota, decêre
Hanc potiùs tumulum, quàm petîsse virum.

In grammaticos, Tit. x.

APOLLINARII.

Cùm fortè inueheret, cecidit reuolutus asello
Grammaticus, qui mox excidit arte sua:
Post illà ignauam vitam cum plebe trahebat,
Nil sciuit quorum doctor inantè fuit.
Non sic ille Lycon, qui quum rudis esset, & expers
Communis linguæ, Grammaticæque magis,
Sæpe vehens Libycis asinis, & sæpe volutim
Collapsus, factus est modò Grammaticus.

INCERTI AVCTORIS.

O Cynegîre miser viuens & mortue! semper
Cui verba, aut gladij vulnera magna ferunt:
Antè quidem in bello pugnax cecidit tua dextra;
Et te priuauit nunc pede Grammaticus.

In mulieres, Tit. xi.

PALLADÆ.

Ira quidem est mulier: sed lecti, & tempore lethi
Læta, duas horas possidet illa bonas.

In meticulosos, Tit. xii.

LVCILLII.

Naualem pugnam miles Calpurnius olim,
Vt mos est, pictam pariete fortè videns,
Pallidus, ereptis prostratus sensibus heros
O fortes, capto parcite, Troes, ait,

Sollicitè explorat vulnúsne acceperit; ac mox
Promittit vitæ parietibus pretium.

In deformes, TIT. XIII.

THEODORI.

Hermocrates nasi; Hermocratis nam dicere nasum,
Magna nimis paruis, qui volet, ille dabit.

AMMONIDÆ.

Antipatram tantùm Parthis ostendite nudam,
Mox metis fugient longiùs Herculeis.

AMMIANI.

Non potis est manibus Proclus sibi mungere nasum:
Vtatur naso quum breuiore manu.

PALLADÆ.

Deformis vxor, quæ virum infelicitat,
Dabit tenebras cùm lucerna accenditur.

IVLIANI Antecessoris.

Hirsuta in facie meßis tibi plurima surgit;
Falce igitur facies tondere, haud forfice debet.

MACEDONII Consulis.

Non loquitur speculum, faciem tamen arguet vnda
Mendacem; fuco nam tua forma lita est:
Hoc etiam dulcis bene Pindarus arguit olim
Optimam aquam, quum sit fuci inimica, canens.

INCERTI AVCTORIS.

Iuraui quoties me epigrammata scribere nolle;
Stultorum turba hinc facta inimica mihi est:

Paphlagonis sed Pantagathi simul ora reuiso;
Non est vt morbum dißimulare queam.

NICARCHI, cum quo certat Christianus.

Si non odisti, noli me, Næuole, amare;
Si dare basiolum, Næuole, amare vocas.

In fœtidos, TIT. XIV.

LVCIANI.

Talis Homereæ nec odor fuit ille Chimæræ,
Nec qui olim tauris fertur in igniuomis,
Non Lemnus, Pœantiadæ nec putris olebat
Pes, non Harpyæ quas tetigêre, dapes;
Vt consensu vno superes, Telesilla, Chimæras
Tabem omnem, tauros, Lemniadas, volucres.

In dolosos, TIT. XV.

LVCILLII.

Si redamas, re me redames, iniuria ne sit
Principium nostræ turpis amicitiæ:
Nempe omnes odisse palam, me iudice, præstat,
Quàm si non vero corde dolosus ames,
Sic plus conspicuis altéque extantibus, aiunt,
Vndis, tecta vagas lædere saxa rates.

In seruos, TIT. XVI.

ΑΔΗΛΟΝ.

Τοῦτο τὸ βουλεύειν εἶχες πάλαι· ἀλλὰ τὸ βῆτα
Οὐκ ἐπιγινώσκω· δέλτα γὰρ ἐγράφετο.

Sic certat cum Græco idem Christianus.

Nos te prudentem, miror, cognouimús olim;
Dempta alium nunc te littera prima facit.

In

In pictores, Tit. XIX.

LEONIDÆ.

Menodoti effigiem pinxit Diodorus; at omnes,
Vnum Menodotum præter, imago refert.

LVCILLII.

Viginti pictor natos habet Eutychus; at vel
In proprijs natis nec simile edit opus.

In filias, Tit. XXI.

LVCILLII.

Virgine nullum onus est grauius: quòd si leue credis,
Euctemon, audi quæ facienda putem:
Hernia magna tibi est, mihi filia; sume tibi illam,
Próque vno centum pondera redde mihi.

In medicos, Tit. XXII.

LVCILLII.

Hermogenem dixit medicum astrologus Diophantus,
Non vltra menses viuere posse nouem:
Cui medicus ridens, De mense, ait, ipse noueno
Videris: at breuiùs te tamen expediam;
Dixit, & extensum tetigit modò; sic Diophantus,
Dum spem alijs adimit, lumine cassus obit.

NICARCHI.

Nec me purgauit Phidon, tetigítve; sed huius
Febricitans memini nomen, & interij.

EIVSDEM.

Occidit chirurgus Acestoriden Agelaus;
Nam viuens claudus credo fuisset, ait.

HEDYLI.

Nec purgatus Ariſtagoras, nec ab Agide tactus;
Sed viſo perijt Agide Ariſtagoras.
Ecquæ aconita iſta pollent virtute? corollas
Agidi, ſandapilæ, ſertáque multa date.

INCERTI AVCTORIS.

Commune inter ſe iurarunt fœdus amicum
Veſpillo Damon, & medicus Crateas:
Atque hic faſciolas, ex ipſo funere raptas,
Mittebat Crateæ, vincula grata, ſuo:
At veſpilloni Crateas benefacta rependens
Dat ſepelire ægros, quos medicare ſolet.

CALLICERI.

Et ſtrophulas, leprámq; Rhodon per pharmaca tollit,
Nec medicamenti cætera tollit ope.

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

Fortè graui Alcimenes pulſatus febre iacebat,
Raucisſonis ægrè faucibus alta canens,
Et lateris coſtas, velut enſis acumine, punctus,
Crebrà interciſis aſper anhelitibus:
Callignotus eum celebris petit arte medendi
Coüs, nugarum cætera plenus homo,
Morborum interpres diuinus, nec temerè vnquam
Prædicens, niſi quæ quiſque futura putet:
Decubitum Alcimenis contemplans, oráque ſenſim,
Pulſum omnem accepit experiente manu,
Scriptáque de criticis repetens antiqua diebus,
Proxima diuino concipit Hippocrati:
Tum cum magnifico faſtu, vultúque ſeuero,
Præſaga Alcimeni certáque verba dedit:

Verbera si lateris cessant, & fruminis alta
Raucedo, & febrim tußis anhela ciens,
Non morieris adhuc pleuritide; nempe salutis
Indicium haud fallax auguror esse tuæ:
Parce metu, scribámque voca, dispone tuas res,
Nec vitam prodas vlteriùs miseram:
Méque (precor) medicum, propter præsagia vera,
E solido hæredem scribe triente tuum.

EIVSDEM.

Charus erat medico natus, quem miserat ad me,
Vt posset canonas discere Grammaticos:
Verùm é prælecto quum carmine talia nosset,
Iram, Diua, refer, quæ mala multa tulit,
Quæ'que tot illustres animas demisit in orcum;
Destitit illum ad me mittere discipulum:
Obuius inde mihi, Tibi gratulor, inquit, amice;
Discere sed mecum filius ista potest:
Multæ namque animæ mihi demittuntur ad orcum:
Nec mihi Grammaticis hîc opus est studijs.

In equos, TIT. XXIII.

ANTIPATRI.

Thessalus est, Erasistrate, equus tibi; sed tamen illũ
Non moueant omnis pharmaca Thessaliæ
Durateum: at Scææ haud subiturum limina portæ,
Non si cum Danais integra Troia trahat.
Quem tu, si me audis, sacrum suspendito diuis,
Et serua pueris ordea cocta tuis.

EIVSDEM.

Pollicitus mihi equũ, caudam dat Olympius, ex qua
Pendebat macri debile corpus equi.

In citharœdos, & tragœdos, TIT. XXIV.

LVCILLII.

Mortiferum, deserta colens, canit abdita bubo;
Verùm Demophilo, bubo, canente perit.

EIVSDEM.

Tota nocte canens vicinos Simylus omnes,
Extra vnum infelix enecat Origenem,
Quem miserè fecit surdum Natura; ideo illi
Pro auditu, vitæ stamina longa dedit.

In fures, TIT. XXV.

EIVSDEM.

Alas habentem Hermem, deorum nuntium,
Arcadum regem, atque abactorem boum,
Qui stabat istis præses in gymnasijs
Furatus Aulus nocte, pòst gestans, ait,
Cedunt magistri plurimi discentibus.

EIVSDEM.

Eutychides Phœbum, furum qui maximus index,
Clepsit, áitque, nimis plurima parce loqui:
Verùm artémque arti, manibúsque oracula, furi
Vatem componas, Eutychidique deum:
Mox mihi cùm fuerit pro infræni venditus ore,
Si libet, emptori dic mea furta meo.

In surdos, TIT. XXX.

NICARCHI.

Cum surdo surdus certabat lite; sed illis

Multò etiam iudex ſurdior ipſe fuit:
Quinque hic conductæ pretium pro menſibus ædis
Poſtulat; hic noctu ſe moluiſſe refert:
Ad quos ſic iudex, Quorſum contenditis, inquit,
Ecquid vtrique ſua eſt mater? vtrique alite.

In voraces, TIT. XXXI.

LVCILLII.

Tardior in ſtadio Eutychides, ad prandia currit;
Vt meritò dicas, nunc volat Eutychides.

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

Nemo tuos, ſi fortè tuas aduenerit ædes,
Lurcoſos dentes cernere ſuſtineat;
Nam ſi te ingluuies Eriſichthonis vrit, amicos
Quos inuitabis forſitan acer edas:
Sed non accipiet tua me domus; abſit vt iſthuc
Ah miſer, à veſtro ventre vorandus eam!
Quòd ſi adeam, Laërtiadæ laus irrita, Scyllæ
Cui ſuperatus atrox impetus ille fuit.
Quin tibi præteritus, maiora antlauero, quando es
Non minus ore fero quàm Polyphemus erat.

EIVSDEM.

Certauêre ambo natúſque, patérque, rapones
Damnoſi, bona vter plura relicta voret:
Poſtquam expatrator bona tot conſumpſit vterque,
Hoc ſupereſt, vt ſe mutuò vterque voret.

EIVSDEM.

Condictam ad cœnam volucrem conſumpſimus, eheu
Ipſi aliarum auium qui tamen eſca ſumus!

Vultur edit Tityi geminantia viscera; sed nos
Bis gemini viuos vulturij comedunt.

EIVSDEM.

Nemo tuas mihi delicias, Erasistrate, diuûm
Faxit, quas adeo deliciaris habens:
Hæc peiora fame stomachorum vilia mandunt
Monstra: vtinam eueniant hostibus illa meis.

In graciles, TIT. XXXII.

AMMIANI.

Vegrandem æstiuo stertentem tempore Longum
Traxit in angustum mus aliquando cauum:
Ille cauum ingressus, murem dum strangulat hostem,
Summe, nouum Alcidem, Iuppiter, inquit, habes.

LVCILLII.

Constare ex atomis Epicurus scripserat orbem,
Alcime, nil atomis esse putans leuius:
Si tum vixisset Diophantus, is ex Diophanto
Scripsisset, qui atomis est leuior leuibus:
Aut certè ex atomis scripsisset cætera facta,
Ex Diophanto ipsas constituens atomos.

EIVSDEM.

Informe, aërium, veréque vmbratile corpus,
Si sapis, effugias omne sodalitium:
Ne quis respirans te nares attrahat intra,
Aëriis leuior quando es anhelitibus;
Nec tibi mors metuenda; tua nil morte peribit:
Verùm vt nunc vmbra es, tunc eris vmbra leuis.

INCERTI AVCTORIS.

Si bruchi, aut culices, si muscæ, Caie, caninæ,

Si mures, ranæ si sua bella mouent,
Militibus videas ne quis te ascribat in istis,
Ordinibus dignum talibus annumerans:
Sin ducenda virûm virtus, tibi nil metuendum est;
Romani gruibus prœlia nulla cient.

In temulentos, TIT. XXXIV.

INCERTI AVCTORIS.

Quum mala anum, calicum cinerem, febris vreret, ista
Vota salutifero fecerat illa Ioui;
Si, quibus eneruor, febris æstus vito; mihi, inquit,
Per centum soles sola bibetur aqua,
Nec vinum cognoscam abstemia: Pòst vbi morbus
Fugerat, hunc eadem luce dolum reperit;
Multiforum manibus cribrum vetula accipit, vnde
Plures promißis solibus intuita est.

Εἰς Ἀπιανὸν ἡγεμόνα πότην.

Γράμμα περισσὸν ἔχεις τὸ προκείμενον· ἢν ἀφέλῃ τις
Τοῦτό σοι, οἰκεῖον κλήσῃ ἁπλῶς ὄνομα.

Imit. Fl. Christiani, In Alebrium.

Redde Arabum vocem, atq; elemẽta superflua deme,
Nomen erit concors moribus omne tuis.

In pigros, TIT. XXXVII.

LVCILLII.

Tam Marcus piger est exire, vt carcere clausus
Vltro se cædis dixerit esse reum.

EIVSDEM.

Inuitatus heri ad cœnam, Demetrie, tantùm

Veni hodie, haud mirum, maxima ſcala tua eſt;
Multa laboraui ſuper hac, ac vix hodiéque
Euaſi aſcendens, caudam aſiníque tenens.

In poëtas, TIT. XL.

POLLIANI.

Muſa ſuas etiam furias habet; inde poëta es;
Inde etiam temerè carmina multa facis:
Ergo rogo plura vt ſcribas, inſania maior
Non potis optari eſt, ſtulte poëta, tibi.

LVCILLII.

Occidit Eutychides Melicus; fugite ô procul vmbræ,
En abit Eutychides carmina multa ferens;
Biſſenas iuſsit citharas ſecum ille cremari,
Viginti & ciſtas quinque poëmatiωn:
Iam veniet nauta ille Charon: quò vertere manes
Se poterunt, Orcum ſi tenet Eutychides?

EIVSDEM.

Hoſpes; quem tumulum hic Marcus vult eſſe poëta,
Lumine defuncti nullius oſſa tegit,
Verùm vnum hunc verſum pro toto epigrãmate fecit,
Flete, iacet iuuenis Maximus ex Epheſo:
Maximus hic nullus tamen eſt; ſed vt eſſe poëtam
Se probet, hoſpitibus flere poëta iubet.

EIVSDEM.

Optimus ille quidem eſt verè, præſtánſque poëta,
Auditori epulum qui ſolet adijcere:
Sin recitat, ieiunúmque illum ad tecta remittit,
Has vertat furias in caput ille ſuum.

INCERTI AVCTORIS.

Hos odi, domine ô Cæsar, queis grata iuuenta est
Nulla, licet possit Arma, virúmque *dare.*
Nam ni (aiunt) caluus Priami ille æquauerit annos
Incuruus senio, ne canet alpha quidem:
Si res hæc certa est, si verum, ô Iuppiter, aiunt,
Ostendet doctos hernia sola viros.

INCERTI AVCTORIS.

Quid profuêre ciuibus versus tui,
Malo tot auri dum capis pro carmine,
Vendens ïambos vt oleum solet institor?

In nauigia, TIT. XLI.

LVCILLII.

Accipiunt vndas latera, ô Diophante, vagantes,
Inque columbarijs affluit Oceanus:
Delphinum chorus, & soboles pulcherrima Nerei
Apparent medio nantia nauigio;
Forsan & in nobis aderit qui nauiget, ac mox,
Vt video, in toto non erit vnda mari.

EIVSDEM.

Currimus in pelagus nantes, Dionysie, iámque
Omnibus Oceani nauis abundat aquis,
Ægæa exhausta est, Tyrrhenáque & Adrias vnda,
Non ratis hæc, fons est ligneus Oceani:
Signa canant, Cæsar, venit Dionysius iste
Sumere non nauis, sed maris imperium.

ANTIPATRI THESSALI.

Cymba Philonis erat, quæ Saluia dicta: sed ipsum

Nec saluare potest forsitan ipsa Iouem:
Saluum nomen habet tantùm; sed quisquis in illa est
Vel natat in terram, vel nigra regna petit.

In improbos, TIT. XLIII.

AMMIANI.

Te puluis tegat exiguus, miserande Nearche,
Quò melius poßint te lacerare canes.

EIVSDEM.

Hic matrem, ille patrem, germanum sustulit ille,
Hos tres Pollianus, primus ab Oedipode.

EIVSDEM.

Tandem se dignum inuenit nodosa podagra,
Ante annos centum dignum etiam podagra:

ΛΟΥΚΙΛΛΙΟΥ.

Μασταύρων ἀφελὼν δύο γράμματα, Μάρκε, τὰ πρῶτα·
Ἄξιος εἶ πολλῶν τῶν ὑπολειπομένων.

Imit. Fl. Christiani, In Peloram.

Prima elementa tuo de nomine, mœcha Pelora,
Si demas, digna es cætera multa pati.

DEMODOCI.

Cappadocem quōdam mala vipera dēte momordit:
Sed sub viroso sanguine mortem obijt.

ANTIOCHI.

Difficile est animum describere, pingere formam
Sat facile est: contrà solus vtrumque facis:
Nam mentis vitia educens natura reuelat,
Omnibus atque oculis prodit aperta palam:

Sed corpus fœdum, miseræque opprobria formæ
Cernere quum nolis, pingere posse putes?

EIVSDEM.

Nec flores tellus producat Gallica, cuius
E gremio infestant mortalia pectora Diræ.

In crepitum, TIT. XLIV.

NICARCHI.

Egressu multos potis est occidere clauso,
Et seruat crepitus, quà data porta, canens:
Si seruare igitur crepitum, atque occidere verum est,
Quis neget hunc magnis regibus esse parem?

In rhetoras, TIT. XLVI.

LVCILLII.

Maialis, vitulúsque mihi, periítque capella,
Propter quos merces pensa, Menecle, tibi est:
Nec mihi cũ Othryada quicquam est cõmune, fuitve,
Nec fures iui quærere Thermopylis:
Lis mihi cum Eutychide est, & coram iudice certo,
Quò mihi nunc Xerxes, & Lacedæmonij?
Ergo dicis causâ de me loquere; aut ego clamans
Dicam, Aliud Menecles, sus aliud loquitur.

EIVSDEM.

Rhetoris haud Marci Ditis pater accipit vmbram,
Et dixit, Satis hîc Cerberus vnus erit:
Sin recipi omnino se postulat; hæc Tityúsque,
Hæc Melito, Ixion cum Melitone velit:
Nam Marco nil peius habet, quoad vsque solœcos
Crebrà spuens Rufus Grammaticus veniat.

INCERTI AVCTORIS.

Effigies Sexti meditatur dum ſilet; ipſe
Rhetor imago quidem eſt; ſed imaginis ille figura eſt.

ABBIANI.

Dona ſolœciſmos ad Flaccum rhetora ſeptem
Miſi; ducentos reddidit ille mihi,
Atque aït, Hos numero miſi tibi; pòſt vbi Cyprum
Venero, menſurâ cætera multa dabo.

AMMIANI.

Rhetoris effigies hæc eſt; ſed rhetor imago eſt
Rhetoris ipſe; rogas? nempe tacere ſolet.

EIVSDEM.

Rhetora conſultor Diodorum ſeruus adiuit
Proponens litem, conſiliúmque rogans,
Fugit, ait, mihi ſerua, inuentam poſtea quidam
Alterius norat qui tamen eſſe, ſuo
Coniunxit ſeruo; ſobolem hæc enixa ſubinde eſt.
Iam rogo vtri domino ius erit in ſobolem?
Ille, vbi multa animo voluit, rimatus & omnes
Libros, diſtorſit priſca ſupercilia,
Vel tibi ait, vel ei, ſerua hæc cui ſeruit, oportet
Seruire hos natos, de quibus iſta rogas;
Quòd ſi præterea iudex accedat amicus,
Non tu lite cades, ſi modò iuſta petis.

EIVSDEM.

Qum tibi communis ratio, atque oratio deſit,
Quî rogo, iure potes eſſe ſophiſta, Byte?

Facetiæ conuiuales, TIT. XLVII.

ABBIANI.

Hesterna à cœna peterem quum tempora somni,
Accubui lecto Gorgonis, *aut* Niobes:
Quem nunquam textum, sed scissum dura securis
Ex lapicidinis egit adusque Proclum.
Quòd ni maturè surrexem, forsitan esset
Hic lectus leti maxima caussa mei.

ANTIPATRI THESSALI.

O Helicon Bœote, *vndam olim sæpe disertam*
Fudisti è viuis fontibus Hesiodo:
Nunc Helicon *alter nobis puer* Itala *vina*
Fundit, de cuius fonte carente magis:
Verùm isto mallem cyathum de fonte vel vnum,
Quàm de Pegaseo *pocula mille tuo.*

APOLLONIDÆ.

Stertis amice? scyphus magno clamore vocat te,
Surge; ah ne gaude mortis imaginibus!
Indulgens præceps, Diodore, *illabere* Baccho,
Vsque bibe, incerto dum titubent genua,
Iam propera; iam mors veniens potare negabit,
Iam tanget nostras alba senecta comas.

ARGENTARII.

Vino ebrius titubo; quis me defendet Iacchi
Flore ictum, & quassum membra calore meri?
Iniustum te, Bacche, *deum fas dicere; nam te,*
Quum tulerim, cur me férsque, rapísque malè?

PHILIPPI.

O edera, obliquo saliens sensim pede repis,
Vitiferíque premis munera læta dei:
Te potiùs, quàm nos lædunt tua vincula; nam quis
Tempora cingi edera te sine, Bacche, velit?

INCERTI AVCTORIS.

Potes, téque hilarem præstes, néve vsque fatiges,
Ne curras, quis enim crastina nosse potest?.
Gratificans genio mortalia concipe; namque
Viuas, non viuas ista perinde puto.
Talis vita omnis, momento viuitur vno:
Si moreris, reliqui nil facis, alter habet.

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

Flore senem Bacchi Oenopion oneraucrat aluum,
Nec pateram è manibus spreuerat ille tamen;
Quin etiam sitiens, quasi non defundere pergat
E cratere manus propria, conqueritur:
Interea iuuenes cœperunt stertere; sed nec
Epotos calices enumerare valent.
At bibe, viue, senex; nam de nihilo, inquit Homerus,
A iuuenum vinci robore sæpe senes.

PAVLI Silentiarij.

Vini-potores hilari libemus Iaccho,
Extrudant curas pocula carnifices;
Rusticus interea, patiénsque laboris arator
Aluum oneret pullæ muneribus Cereris:
Fercula sed carnis non inuidiosa cruentæ
Linquenda alitibus, crudiuorísque feris:
At pisces, quibus ossa cutim cæsura, fruantur

Illi, queis vita charior Orcus erit:
Vina beata adsint semper; potúsque, cibúsque
Sint vina; illa fruens nil moror ambrosiam.

MACEDONII Consulis.

Vos quibus innocui curæ sunt orgia Bacchi,
Spe vini tristem pauperiem abijcite:
Verùm adsit grandis crater mihi, torcular adsit,
Plenáque ridentis dolia lætitiæ;
Me mox, epoto nostri cratere Lyæi,
Bella Canastræis ferre iuuet pueris:
Nec sæuum pelagus, nec dira tonitrua curo,
Intrepidi retinens robora fida meri.

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

Dum nobis ingens premitur vindemia, & vnà
Bacchanti suaues nectimus ore modos,
Paßim impunè latex per torcula vasa fluebat,
Ceu lembi enabant pocula dulce fretum:
Inde bibebamus properatum instanter Iacchum,
Nec calidæ nobis tunc opus vsus aquæ.
Mox prelum prope, se ostendit formosa Rhodanthe,
Splendore illustrans musta nouella suo:
Hinc turbata fuit nobis mens omnibus, & mox
Quisque manus Baccho præbuit, & Veneri:
O miseri! ante pedes nostros super ille fluebat;
Spe tantum ludens nos Venus illa fouet.

ARGENTARII.

O conuiua vetus, cauponis amica maligni,
Dulcisonans, ridens, gutture longa, capax;
Parua inopi semper mihi symbola, mysta lagena,

Incidis in nostras quàm diuturna manus!
Immixta ô venias, neque desponsata lagena,
Vt solet ad sponsum virgo tenella suum.

INCERTI AVCTORIS.

Tantalus haud infrà comedebat, ab arbore multa
Cùm fugerent supra poma caduca caput:
Hinc potuit minor esse sitis, quia rarior esus;
Maturas ficus ederit ille tamen,
Ederit & pruna, & mala, vt libet: at sitis vmbris
Quantilla ex istis fructibus esse potest?
Nos edimus contrà omnia edulia salsa vocati,
Caseolos, pisces, anseris atque adipem,
Sparsa sale altilia, & semel heu potamus ad illa!
Nostra ergo grauior, Tantale, pœna tua est.

NICARCHI.

Ingenti affecit nos luctu Aphrodisius omnes,
Sex vini allisis ad mala saxa chois:
Centaurum Bacchus quondam malè perdidit; ô si
Nos quoque! nunc nobis perditor ille perit.

INCERTI AVCTORIS.

Astrologi certè periturum me citò dicunt,
Nec puto mentitos esse, Seleuce, mihi:
Quid tum? omnes nox vna manet, quòd si citiùs me;
Minois citiùs iudicis ora tuar.
Potandum est, vinum facturo iter est equus, aiunt;
Quando solent pedibus Tartara nigra peti.

INCERTI AVCTORIS.

Nil nimiũ, aut minimũ, Bacchi modus optimus ille est:
Scilicet inde dolor, vel venit inde furor:

Misceri

Miſceri lymphis gaudet tribus ipſe quaternis,
Illo etiam thalamos tempore promptus init:
Qui nimius ſpirat, dulcem auerſatur amorem,
Mergitur & ſomnis, mortis imaginibus.

In contumelioſos, TIT. XLIX.

PALLADÆ.

Sol lucis deus eſt: verùm ſi iniurius eſſet
Exoriens, tum mî lux odioſa foret.

EIVSDEM.

Non mihi, ſed paupertati conuicia dicis:
Quòd ſi mendicet Iuppiter, illa ferat.

EIVSDEM.

Sum pauper, quid agam? cur odiſti immeritum me?
Fortunæ caſus, non animi eſt vitium.

EIVSDEM.

Optima laus certè eſt; odium autem iniuria gignit:
Sed mala verba, omnes Attica mella putant.

In auaros, TIT. L.

INCERTI AVCTORIS.

Omnibus es diues; verùm mihi pauper egenus:
Cur ita, Apollophanes? arguit vſus opes:
His vtens, tua ſunt; verùm ſeruata nepoti,
Iam tua non fuerint illa, ſed alterius.

NICANDRI.

Parcus heri laqueo vitam finire paratus,
Propter ſex obolos, Glauce, perire negat;

Hoc pretium est restis; sed cunctabatur emendo,
Fors quærens letum vilius esse sibi:
Hoc grande est specimen nimis infelicis auari,
Qui pro sex obolis non moritur moriens.

LVCILLII.

Heredem Hermocrates moriens, & perditè auarus
Se testamento scripserat ipse suum:
Dúmque iacet, sumptúsque putat, quos fecerat æger,
Et saluum medicos præmia quanta manent,
Et videt, vt valeat, se plus impendere drachma;
Ergo mori præstat, dixit, abítque simul:
Et iacuit non vltra obolum diues; bona cuius
Heredes auidi rapta libenter habent.

PALLADÆ.

Ditis opes retines, animum sed pauperis: ergo
Heredi diues, pauper es ipse tibi.

INCERTI AVCTORIS,
In effigiem Anastasij regis in Euripo.

Hæc tibi de ferro effigies, rex exitium orbis,
(Nam pretiosa nimis esset in ære,) data est,
Pro cæde, atque fame, pro pauperie, atque furore,
Vnde omnes sola perdis auaritia.

LVCILLII.

Viuere cornicis, longæui aut tempora corui
Si pote, diuitias accumulare potes:
Sin te mortalem lædit matura senectus,
Ne tua dirus opum pectora tentet amor.
Quid iuuat immenso curarum mergere fluctu
Mentem animi? has alius prodiget vsus opes.

EIVSDEM.

Murem Asclepiades vbi vidit auarus apud se,
Et quid apud me mus, inquit, amice facis?
Parce metu, bone vir, ridens mus leniter infit,
Nulla cibi spes hîc, sed stationis erit.

In philosophos, TIT. LII.

LVCILLII.

Non versare molam quicũque indoctus, egénsque est,
Mercede aut pacta tollere curat onus;
Sed nutrit barbam, & tollens triuiale bacillum
Virtutis princeps inquiet esse canis:
Zenodoti hoc sapiens dogma est, vt qui ære carebit,
Pannosa incedat veste, nec esuriat.

AMMIANI.

Esse animi barbam credis sapientis alumnam,
Propterea nutris, ô bone, muscifugam:
Si me audis, propera maturè radere; barbą
Mentem ornare nequit, mentum onerare potest.

PALLADÆ, imò verò THEMISTII Philosophi in seipsum, quando Præfectus Vrbi Nouæ Romæ factus est, Valentiniano & Valente Impp.

Inuehis ætherio dum curru, argenteus (ingens
Proh pudor) allexit te radiante rota:
En ascende infrà, suprà descendere visus,
O quondam melior, nunc quoque deterior.

Idem aliter.

Ætherio celsus cùm nuper in axe sederes,

Optaſti argenti, proh pudor! axe frui:
Infrà aſcende, ſuprà qui deſcendiſſe videris:
Qui melior fueras inferiore loco.

ANTIPATRI.

Pera dolens luget, dolet Herculis *optima quondam*
Claua, Sinopitæ conſcia Diogenis,
Et pannus duplex, & ſordibus obſita veſtis,
Ad duras hyemes quæ ſatis eſſe poteſt.
Nam tuus hæc humerus violat: canis hic fuit olim
Ætherius, cinerum tu canis eſſe potes.
Pone arma, arma aliena & non tua: nempe leones
Barbatóſque hircos non eadem arma decent.

PALLADÆ.

Barbati Cynici mendicantíſque bacillo
Vidimus in menſa quanta ſophia fuit:
Abſtinuit raphanis primùm, triſtique lupino,
Virtuti venter ne dominetur, ait:
Sed poſtquam niueum tunicato cortice bulbum
Vidit, virtutem diſsimulare nequit,
Præter ſpem poſcit noſtram, atque impunè vorauit;
Virtuti & bulbum dixit obeſſe nihil.

116

EX LIBRO TERTIO ANTHOLOGIÆ DIVERSORUM EPIGRAMMATUM VETERUM.

ſorum Epigrammatum veterum.

In claros viros, Tit. I.

CHRESTODORI.

Hoc *tumulo ſitus eſt,* Epidauri *ſtella,* Ioannes,
Vrbis quam proles condidit Herculea:
Vnde hic ſollicitè compeſcuit optimus heros
Vis durum iniuſtæ robur, & omne ſcelus:
Lychnadus *huic patria eſt, pietate inſignibus olim*
Orto *atauis;* Cadmus *conditor vrbis erat.*
Ille Heliconis *erat lumen, quia* Græca *figurans*
Expreßit Cadmus *prima elementa prior;*
Olim conſul, at Illyrica *pòſt prætor in ora,*
Rettulit ex Muſis, *iuſtitiáque decus.*

THALLI.

Lumina bina, Milete, *tuæ bona germina terræ,*
Æuibreues iuuenes Itala *terra tegit:*
Læta coronarum mutaſti præmia luctu,
Heu! reliqui cernens, parua quod vrna capit:
Ah patria infelix! ecquando rurſus, & vnde
Splendida ſic Græcis *aſtra, ſuperba dabis?*

MELEAGRI.

Terra vale, mater communis; ſis leuis oro
Antigeni, *tibi qui non fuit antè grauis.*

AGATHIÆ SCHOLASTICI,

In Theodotum generum, qui ſuæ vxoris odio vitam finierat.

Supremum hunc terræ curſum & regna infera teſtor,
Nec me olim coniux oderat Eugenia,
Nec ſponte illi infeſtus eram; ſed in illud adegit
Nos culpæ mala ſors, aut hominum inuidia:
Nunc, cùm Minoïs conuenimus ante tribunal,
Erroris tanti purus vterque fuit.

INCERTI AVCTORIS.

Et fuerit noſtræ monimentum inſigne, Sabine,
Iſte lapis magnæ paruus amicitiæ:
Te ſemper quæram; tu manes (ſi licet) inter
De triſti Lethes ne mihi fonte bibas.

In pugiles, TIT. II.

SIMONIDIS.

Milonis ſtatua hæc, ſeptem certamina Piſæ
Qui vincens, nunquam decidit in genua.

PHILIPPI.

Ortum Sinopa ſi modò Demoſtratum
Audiſti, ab Iſthmo ſexies qui rettulit
Pinum, intuêre: cuius in volubili
Lucta, ſupinum non fefellit adnotans
Arena tergum: en & feræ frontis decus,
Seruantis antiquæ ſpem adhuc victoriæ:
Sed, inquit æs, me liberum baſis ſinat,
Certabo, adhúcque ſeptimam pinum auferam.

In fratres, TIT. III.

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

Latoüs, Paulúsque priùs, par nobile fratrum,
Communem inter se vitæ habuere modum;
Parcarum sortiti etiam communia fila,
Vnum Bosporio littore habent tumulum:
Neuter enim potuit diuulsus viuere ab illo,
Vnus & ad Ditem cursus vtrique fuit.
Saluete, vnanimes; tumulo Concordia vestro
Gaudet, & hîc ara est instituenda deæ.

EIVSDEM.

Vna duos fratres tumuli capit vrna, duósque
Vna dies nasci vidit, & vna mori.

In viros fortes, TIT. V.

ANTIPATRI.

Nuntia fulua Iouis, gestatrix fulminis ales,
Cur astas tumulo fortis Aristomenis?
Mortales monitura omnes, quantum ipsa volucres
Exsupero, iuuenes tam super ille cluet.
Gaudebunt timidæ timidorum sede columbæ:
Me iuuet intrepidos semper amare viros.

MENANDRI, In Epicurum, & Themistoclem.

O saluete, Neoclidæ geminum genus; iste
Stultitia patriam liberat, ille iugo.

GERMANICI, In Themistoclem.

Pro tenui tumulo mihi Græcia, piláque dentur
Barbarici testes, signáque naufragij,

Persicáque in tumuli, Xerxémque, crepidine bella
Adde: Themistoclem tum super ista tege.
Pro cippo adiaceat Salamis, mea facta recensens:
Quid paruis magnum composuisse iuuat?

EIVSDEM, In eundem.

Hocce Themistocli Magnes dat inane sepulcrum,
Persica cùm à patria post iuga pulsa sua
Externam inuisit terram, molêmque volente
Inuidia: heu Virtus præmia parua capit!

APOLLONIDÆ.

Ælius Ausonij fortis dux agminis, & qui
Torquibus ex auro colla grauata tulit;
Ex morbo accedens ad ineuitabile fatum,
Virtutis reuocat fortia signa suæ,
Visceribus ferrum condit moriturus, & inquit,
Ne sua sit morbo gloria, sponte necor.

ALCÆI.

Hoc tumulo indefleta, atque intumulata iacemus
Triginta Emathiæ millia militiæ;
Non leuis Emathiæ hæc iactura; sed illa Philippi,
Vel leuior ceruis, gloria tanta fugit.

SIMONIDIS.

O belli saluete duces, salue Attica pubes,
Quam virtus domitis ignea clarat equis;
Clara puberibus quæ pro patria occubat annis,
Græcorum sternens innumeras acies.

ÆSCHYLI.

Hos quoque Parca viros pugnantes fortiter hastis,
Patria seruatur dum pecorosa, premit:

Funere mersorum sed viuit gloria; queis tunc
Fortibus Ossæus condidit ossa cinis.

LEONIDÆ.

Pulueris exigui parua hæc monimenta, viator,
Alloquere, ô miseri, quisquis es, Alcimenis:
At quamuis totum rubus, & paliurus acuta
Me tegat: at quondam fortis eram Alcimenes.

ANYTÆ.

Lyda Philippeam prolem vrget Amyntora tellus,
Plurima qui tetigit ferrea bella manu:
Nec dolor hunc morbi deduxit ad infera regna,
Sed clypeo socios dum tegit, oppetijt.

PISANDRI.

Hippæmon viri erat nomen, Balésque calonis,
Theragrúsque canis, atque Podargus equi,
Thessalus è Creta Magnes genere, Æmone natus,
Bellum in principijs dum gerit acre, perit.

GÆTÆ.

Trecenti, patria ô Sparte, pugnauimus isti
Pro Thyrea, lectos contra tot Inachidas,
Ceruice immota; nam quo vestigia prima
Fixa pedum, nostra est vita relicta loco:
Sed Lacedæmoniam Thyream (proh Iuppiter) arma
Othryadæ clamant tecta cruore virûm.
Quòd si se eripuit quis leto Argiuus, Adrasti est:
Nam Spartæ mors est non mori, at effugere.

INCERTI AVCTORIS, In idem.

Iuppiter, ánne alium, Othryada qui fortior esset,
Vidisti? solus qui negat esse redux

E Thyrea in Spartam; nam per latus impulit ensem,
Et spolia Inachidûm serua, cruenta tulit.

In obscuros viros, TIT. VI.

INCERTI AVCTORIS.

Qui flebilem mortalium vitam iocis
Attemperaui, Nicæus Philisthion,
Vitæ hoc sepulcro condidi omne relliquum,
Obire sæpe visus, at nunquam hoc modo.

INCERTI AVCTORIS.

Si parua nostrum tumulasses mole cadauer,
Magna tibi merces pro pietate foret:
Nunc meus occisor quoniam tumulum facis; ò si
Dij, quæ fecisti, dent tibi iure pati!

INCERTI AVCTORIS, In idem.

Postquam occidisti, tumulum facis; haud sepelire,
Sed celare volens: iam precor ista tibi.

NOSSIDIS.

Leniter arridens, prætergredere, & bona dicens
Verba mihi; nam sum Rhintho Syracusius,
Paruula Musarum Philomela; ederacea cui sunt
Decerpta Tragicis præmia de calathis.

MELEAGRI.

Nostra fuit nutrix Tyrus insula, patria certa,
Quæ colitur Gadaris Atthis in Assyrijs;
Musicus ipse otium Meleager ab Eucrate duxi,
Súmque Menippeos æmulus ante sales:
Sin Syrus, haud mirum est, hospes; patria vnica mun-
Et chaos vnũ hominũ protulit omne genus. (dus,

Pro tumulo insculpsi hæc tabulis penè obsitus annis:
Proxima nam morti nostra senecta iacet.
Tu me verbosum, & vetulum saluere iubeto:
Sic tibi dent senium tangere fata loquax.

LEONIDÆ.

Ecquid coniiciam de te, Pisistrate, Chium
Insculptum huic tumulo cùm video astragalum?
Téne Chium esse probat, vel lusorem arguit? atqui,
O bone, tam felix non ita iactor eras:
Fòrs & rem nondum satis assequor; an Chia quòd te
Vina necant? sic est, attigimúsque scopum.

CALLIMACHI.

Hîcne situs Charidas? natum si quæris Arimma
Patre Cyrenæo, scilicet hîc situs est.
Quid, Charida, est infrà? nox multa: ascēsus ad auras?
Nullus: quid Pluton? fabula, & occidimus:
Hæc tibi vera loquor; verùm hoc iucundius audi;
Infera Pellæum continet aula bouem.

ANTIPATRI THESSALI.

Luctum feras, Polìtta, sistas lacrymas.
Mater sepultos multa vidit filios;
Sed moribus, vitáque non isti pares,
Non ora matris sic colentes dulcia:
Quid fles? quid incassum gemis superflua,
Si tartara omnes nigra mortales manent?

THEÆTETI.

Antagoræ incautas ædes, vinóque sepultas
Hiberno excussit tempore flamma latens:
Octoginta inerant vel serui, aut liberi, & omnes

Eheu tam tristi succubuêre rogo!
Ossa propinquorum nullus dignoscere quiuit:
Vrnam habuêre omnes, inferiásque simul,
Vnum omnes tumulum; facilè sed singula cuique
Funera discernat Ditis auara manus.

DIODORI.

Et Baccho, & Musis charus, Diopithe creatus
Cecropides iacet hîc ille Menander, habens
Exiguum in busto cinerem: sin fortè Menandrum
Quæris; in ætherijs quære, vel Elysijs.

PAVLI.

Damocharis fato tellurem vrgente subiuit;
Heu dulcis Musæ barbitos illa silet!
Ingens Grammaticæ columen perit; En iterum, ô Cos
Cincta mari, mœres qualia in Hippocrate.

THEODORIDIS.

Siccine Agenoridem Pylium, Æolicæque iuuentæ
Florem immaturum, Parca inopina, metis,
Fata canes vitæ exstimulans? proh, numina diuûm,
Implacido Diti quanta rapina iacet!

ANTIPATRI.

Fare mihi quis sis, quo natus patre? Philautus
Eucratida: cuius? sum Thriasensis ego:
Qualis vita tibi placuit? sapientis amica,
Non timidi nautæ vita, vel agricolæ.
Morbus te, aut senium leto dedit? hîc ego sponte,
Epotis cyathis, infera regna adij.
Anne senex? valde. Quando sapientibus acta
Respondent verbis, sit tibi terra leuis.

AGATHIÆ.

Candaules iacet hîc, cuius cùm fata videret,
Liberat vxorem crimine Iustitia;
Nempe viris visam se noluit illa duobus,
Sed vel cui visa est, vel retinêre suum:
Candaules meritas pœnas luit ergo, videndam
Ipse suam qui oculis præbuit alterius.

INCERTI AVCTORIS, In Niobem.

Istud sepulcrum intus cadauer non habet;
Extrà, sepulcrum non habet cadauer hoc:
Imò sepulcrum ipsa & cadauer est sui.

HEGESIPPI, In Timonem hominum osorem.

Et spinæ, & sudes, tumulo huic munimen, acutæ;
Quósque feres, referes saucius inde pedes.
Hîc habito Timon hominum osor: præter abito;
Et plorare iubens me modò, præter abi.

INCERTI AVCTORIS, In eundem.

Qui triuio in medio tumulat me luce carentem,
Sit sacer, exigua nec requiescat humo:
Nempe vocant omnes istud Timona cadauer;
Nostráque sors exsors sola quietis erit.

ANTIPATRI SIDONII, In Ptolemæum regem.

Et, Ptolemæe, pater multùm, & tua funera mater
Defleuit, grandes dilaniata comas;
Multùm etiam dulcem luxit nutritor alumnum,
Immundo turpans puluere canitiem.

At magna Ægyptus capitis spoliauit honorem,
Europæ lacrymas fudit & ampla domus:
Ipsa quoque ob luctum Triuia obscurata minores
Ignes, ætherias deseruítque vias:
Nam te dira lues, multùm populante veneno,
Nondum adfectantem sceptra paterna, tulit:
At non te noctis capiunt fera Tartara; tales
Nam cœlo reges Iuppiter ipse locat.

In infantes, TIT. IX.

POSIDIPPI.

Astyanax circa puteum quum luderet olim
Trimus, eum formæ traxit imago suæ:
Extraxit puerum genitrix fletura madentem,
Addubitans meritò viuat adhucne puer:
Nec Nymphas incestauit, sed matris in vlnis
Dormijt, æterno membra sopore rigens.

LVCIANI.

Quinquennem puerum, nulli cui dedita curæ
Pectora, me rapuit mors fera Callimachum:
Parce tamen lacrymis, hospes; nam si data nobis
Vita breuis, vitæ sunt breuiora mala.

AGATHIÆ.

O si nulla forent connubia, nulli hymenæi!
Nulla esset duri caussa puerperij:
Nunc sedet in partu miserandæ fœmina sortis,
Et soboles tristi mortua ventre iacet;
Tertia iámque dies exacta est, irrita partûs
Cùm spes, infanti nec patefacta via est:

Sit tibi maternus leuis ô pro puluere venter;
Nam te, infans, gerit hic, nec tibi terra opus est.

In senes, Tit. X.

INCERTI AVCTORIS,

In eum qui sese ante mortem sepelierat.

Pauperie & senio confectus, nullus egeno
Et mendicanti quum mihi ferret opem:
Membra tremens sensim tumulum procliuis adiui,
Vt vitæ finem sic facerem miseræ.
Per me mutatus morientum priscus erit mos,
Venit post tumulum mors mihi sera meum.

INCERTI AVCTORIS.

Ego Philænis, inter illa mortales
Famosa, longum dormio hîc senex somnum:
Ne, nauta, promontorium istud inflectens,
Ludibrium in me funde vanus, aut risum;
Neque enim (Iouem testórque, & inferos fratres)
Immunda vixi, prostibile velut scortum;
Atheniensis at Polycrates, ille
Flos perditæ versutiæ, & malæ linguæ,
Quæcunque scripsit, scripsit: ipsa non noui.

In mulieres, Tit. XII.

LEONIDÆ.

Quæ tu, quóve sata es, Pariæ subiecta columnæ?
Filia Callitelis Prexo: vbi nata? Samo:
Quis voluit tumulare? Theocritus; illi ego quondam
Tradita: quæ mortis caussa? puerperium:
Quot nata annos? viginti & duo: num sine prole?

Non: trimus viuat quum mihi Calliteles.
Ille tibi sic viuat in annos vsque seniles:
Et res sors, hospes, prosperet æqua tuus.

HECATÆI THASII, In iuuencam, quæ è regione Constantinopolis erat.

Effigiem Inachiæ ne me bouis esse putate;
Non feci pelago nomina Bosporio:
In Pharon hanc grauis ira priùs Iunonis abegit:
Contrà en Cecropiæ mortua plebis ego,
Coniux chara Charetis; eum comitata natantem,
Dum gereret classi bella Macedonicæ,
Bucula dicebar qua tempestate; Charetis
Nunc coniux, me nunc vtraque terra iuuat.

ANTIPATRI SIDONII, In Laïdem.

Illa olim diues pictaï vestis & auri,
Mollicie superans Cyprin, amore potens,
Hîc posita est Laïs, bimaris famosa Corinthi
Ciuis, Pirenes splendidior latice,
Mortalis Cytherea, à pluribus illa petita
Quondam, quàm virgo Tyndaris antè procis,
Venalem venerem carpentibus, atque lepores:
Huic suauis tumulus fragrat odore croci,
Ossáque odorato respersa madent vnguento,
Quin halant nitidæ thurea dona comæ:
Hac super & pulchras rupit Venus aurea vestes,
Et longùm clamans collacrymauit Amor.
Quòd ni è vulgato meruisset lucra cubili,
Vt pro Helena quondam, Græcia in arma ruat.

AGATH. SCHOLASTICI, In eandem.

Laïdis antiquæ tumulum vidi ipse Corinthi,
Ambiuium, vt testis littera sculpta super;
Ac lacrymans paulisper, Aue, inquam, fœmina nun-
Visa, sed auditu iam mihi nota satis: (quam
O quantum iuuenum torsisti! obliuia quæ nunc
Deposito formæ longa decore colis.

INCERTI AVCTORIS.

Viginti atque nouem mihi pignora Callicrateæ,
Non tamen vlla horum funera visa mihi:
Sed centum longæua annos & quinque peregi,
Nec baculi tremulam sustinuêre manum.

INCERTI AVCTORIS,
In Lycambidas.

Testamur dextrâmque manum Plutonis auari,
Atque illaudandæ pulla grabata deæ,
Virginitas semper nobis seruata pudicè est:
Multa in nos acri deblaterata tamen
Archilocho, qui non generosos vertit in vsus,
Sed tantùm in bellum carmina fœmineum.
Pierides, cur probrosi indulsistis iambi
Prauo in virgineum dedecus arma viro?

ANTIPHILI.

Arguit ista loquax hanc, hospes, pica loquacem,
Gauisâmque mero fabitur iste calix;
Pensa operatricem, Cretensem corniger arcus,
Testantur mitræ vincla fuisse senem;
Hacce columnati talis sub mole sepulcri
Fœmina scenarum nescia Bittis inest:

Hoſpes aue, atque vale, tenebríſque fruentibus Orci
Hæc ne te pigeat reddere verba bona.

ΑΛΚΑΙΟΥ, Εἰς γυναῖκα, ἥτις ἐκαλεῖτο Φιδίς.

Δίζημαι κατὰ θυμὸν ὅτου χάριν ἁ παροδῖτις
Δισσάκι φῖ μούνων γράμμα λέλογχε λίθος,
Λαοτύποις σμίλαις κεκολαμμένον. ἦ ῥα γυναικὶ
Τὰν χθονὶ κευθομένα Χιλιὰς ἦν ὄνομα;
Τοῦτο γὰρ ἀγγέλλει κορυφούμενος εἰς ἓν ἀριθμός.
Ἢ τὸ μὲν εἰς ὀρθὰν ἀτραπὸν οὐκ ἔμολεν,
Ἡ δ' οἰκτρὸν ναίουσα τόδ' ἠρίον ἔπλετο Φιδίς;
Νῦν σφιγγὸς γρίφοις Οἰδίπος ἐφρασάμην·
Αἰνετὸς, οὐ 'κ διδύμοιο καμὼν αἴνιγμα τύποιο,
Φέγγος μὲν ξυνετοῖς, ἀξυνέτοις δ' ἔρεβος.

ANTIPATRI, In mulierem, cui nomen erat Phidis, quod ad Ibin retulit Fl. Chriſtianus.

Quærebam, & cauſam tacitus rimabar apud me
Quid ſibi vult geminum I *quod lapis iſte notat,*
Scalpellis ſculptum lapicidis: hîcne ſepultus
Forſan habet numero nomen ab vndecimo?
Nempe hoc ſignificat numeri ſubductio bini:
Quid ſi non rectum ſic quoque ſector iter?
An potiùs tumulo hoc infelix conditur Ibis?
Nunc Sphingis nodos Oedipus exſolüi.
Laudo ego, qui doctis lucem, indoctíſque tenebras
Ænigma ex duplicis litteræ honore dedit.

AGATHIÆ SCHOLASTICI, In matrem ſuam Byzantij iacentem.

Hoſpes, quid ploras? tua fata: an me quoque noſti?
Non equidem; apparet mors miſeranda tamen:

Quis tu autem? Periclea: viro cui nupta? bono. in-
Rhetori, & ex Asia, nomine Memnonio: (quam,
Cur te Bosporius puluis tenet? hoc tibi Parca
Dicat, quæ externa me tumulauit humo.
Liquisti infantem? qui trimus in ædibus errans
Lac nuper nostris suxit ab vberibus.
O vtinam viuat: sic, sic bene, amice, precator,
Grandior vt cùm sit, tunc mea fata gemat.

CALLIMACHI.

Túne es, Timonoë? non te, per numina, nossem,
Timothei nomen ni genitoris huïc
Hæreret cippo, tuáque vrbs Methymna: dolebit
Insanum quantùm vir tuus Euthymenes!

AGATHIÆ, In sororem suam Eugeniam.

Florentem formæ splendore, atque arte Camænæ,
Quæ fuerat sanctæ conscia Iustitiæ,
Eugeniam iste tegit puluis, cuiúsque sepulcro
Præsecuêre comas Cynthia, Musa, Themis.

IVLIANI ÆGYPTII.

Nomine Pulchra quidem; sed cui formosior ore
Mens fuit, heu veris gratia quanta perit!
Nam Veneri penitùs similis fuit; & Venus vni
Visa viro est, reliquis tetrica Pallas erat.
Quæ non plorauit cautes, cùm fortia fata
Ex vlnis illam deripuêre viri!

ÆMILIANI.

Suge miser, matris quæ non pòst vbera suges,
Extremam guttam iam morientis habe.

Confossæ gladijs animus mihi desit: in Orco
Non tamen affectus sum positura pios.

INCERTI AVCTORIS.

Ne tumulum hunc citò prætereas, generose viator,
Indefessum alacris qui pede pergis iter:
Tum demum aspiciens scitare quis, vnde, sciésque
Harmoniam generis cuius origo cluet.
Nam, quæ cuncta ferunt laudem mortalibus, illi
Nobilitas comis, vita pudica fuit.
Ergo vide hunc tumulum; nam corpore libera tãdem
Mens animi ad superas respicit alta vias.

ERYCII.

Attica mî patria est; medijs sed raptam ab Athenis
Itala bella suo me posuêre solo,
Ac me Romanam ciuem fecêre; peremtæ
Insula nunc circum Cyzicus ossa tegit:
Salue altrix nostra, & tu salue nostra receptrix,
Quæque suo excepit denique terra sinu.

AGATHIÆ.

Te te quæso, viator, amico hæc fare marito,
Cùm dabitur nostram cernere Thessaliam,
Occidit heu! coniux tua, quam tellure repostam
Heu heu Bosporij littoris ora tenet!
At memor esto illic tumulum mihi ponere inanem,
Coniugis vt ne sit immemor ille suæ?

CALLIMACHI.

Crethida verbosam, nec ineptam ludere multa,
Non cessant Samiæ quærere sæpe nurus,

Dulcem operum sociam, sempérque arguta loquẽtem:
Hîc somnus reliquis debitus vrget eam.

In seruos, TIT. XIII.

DAMASCII.

Zosima quum solo prius esset corpore serua,
Libera nunc etiam corpore facta iacet.

In heroas, TIT. XIV.

INCERTI AVCTORIS, In Laërtem.

Consumit lapidem tempus, neque parcere nouit
Ferro, vnáque secans omnia falce terit:
Sic hoc Laërtæ monimentum, quod prope littus
Frigentis pluuiæ putre liquore fluit.
Herois nomen semper iuuenescit, honósque;
Tempora carminibus nulla nocere putes.

BIANORIS, In Eteoclem, & Polynicem.

Oedipodæ natorum vrbs est Thebana sepulcrum:
Tela tamen bustum viuere sentit atrox:
Hos nequit Orcus adhuc sedare, Acherontéq; in ipso
Pugnant, ínque vicem busta inimica tenent:
Igni etiam est ignis contrarius; ò miserandi
Proh iuuenes! quorum nec potis hasta mori.

INCERTI AVCTORIS, In Achillem.

Aspicite ô tumulum hunc, hostes frangentis Achillis,
Quem Troum, pietas struxit Achiua, metum:
Imminet & ripæ, quò planctibus æquoris alti
Ornetur proles æquoreæ Thetidis.

ANTIPATRI, In Aiacem.

Aiacis tumulo Rhœteo in littore Virtus

Insideo, lacrymis icta dolorificis,
Scissa comam, fœdata genas, quia, iudice Græco,
Non virtute licet vincere, fraude licet:
Pelidæ arma tamen mox dicent, Mascula nobis
Robora, non linguæ mollia verba placent.

LEONTII, In eundem.

In Troia situs est Telamonius; haud tamen hostes
Ille suæ laudem cædis habere sinit:
Nam cui esset tanta audendi fiducia, nullum
Inueniens, cædem perpetrat ille suam.

ACERATI Grammatici, In Hectorem.

Magne Meletæis, Hector, celeberrime chartis,
Pergamei muri nobile præsidium;
In te Mæonides requieuit, paginâque Hector
Extrema Iliados, te moriente, silet.

INCERTI AVCTORIS,

In Alexandrum Macedonem.

Hectore Troia quidem perijt pereunte, nec vltrà
Sustinuit Danais opposuisse manus:
Pelláque Alexandro pereunte simul perit: ornant
Ergo viri patriam, non patria ipsa viros.

In medicos, TIT. XV.

THEOSEBIÆ.

Tres vidit luctus Medicina, scidítque capillos:
Funere in Hippocratis primùm, pòst deinde Galeni,
Nunc iacet Ablabij circum lacrymosa sepulcro:
Nempe homines inter pudet, hoc moriente, videri.

INCERTI AVCTORIS.

Thessalus Hippocrates, Coüs genus; hocce sepulcro
Conditus est, verè sanguis Apollineus:
Qui medicis armis morborum multa trophæa
Extulit, haud dubia sorte, sed arte valens.

INCERTI AVCTORIS.

Pausaniam celebrem medicum (pater Anchitus illi)
Hîc Asclepiadem patria condit humus:
Qui multos homines, morborum viribus vstos,
Arcuit à furuis Persephones thalamis.

In aucupes, TIT. XVI.

ANTIPATRI SIDONII.

Ille ego, qui sturnúmque, rapaciáque altiuolantis
Bistoniæ arcebam semine rostra gruis,
Petrigeras fundæ torquens balearis habenas,
Qui nubes auium propuleram Alcimenes,
Amisi vitam; nam plenus fellis amaror
Dipsadis heu punxit viperæ ab ore pedem!
En vt dispiciens, magnus quæ continet aër,
Non vidi pedibus damna voluta meis.

ISIDORI.

Cum visco & calamis Eumelus ab aëre vixit,
Atque in re tenui libera vita fuit:
Nec ventris caußâ externæ dedit oscula dextræ,
Delicias labor hic, lætitiámque tulit:
Tum viscum, & calamos natis, pennásque relinquēs
Hîc situs est, post bis lustra peracta nouem.

In pisces, TIT. XVII.

INCERTI AVCTORIS.

Me delphina, noui exemplum miserabile casûs,
Admouit terræ tristis hyems pelagi:
Sed miserata tamen terra est, pietásque videntum
Actutum mota me tumulauit humo.
Nulla fides pelago: genitrix me perdidit vnda,
Parcere quæ generi nescit acerba suo.

In citharœdos, TIT. XVIII.

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

Heu Lyricæ vatem musæ, decimámque camœnam
Et Romæ, & Phariæ contegit iste lapis!
Nunc omnis moritur cantus moriente Ioanna,
Et citharæ cessant, & lepor omnis abest:
Forsitan & Musæ statuêre habitare, Ioanna,
Posthabito tumulum nunc Helicone, tuum.

In venatores, TIT. XIX.

AGATHIÆ.

Robustum venatorem Panopea leonum,
Pantherásque bonum figere densipilas,
Hic tumulus condit; nam terra dirus ab ima
Scorpius occidit, montiuagúmque pedem
Punxit: at illa iacent iacula, & venabula, quæ nunc
Heu debent tutis ludibrium capreis!

INCERTI AVCTORIS.

Ballistam, arma famelica, pauper habebat Ariston,
Hinc anates, varias hinc iaculatus aues:

Sensim iter adgrediens cæcum, doctúsque volucres
Pascentes limis fallere luminibus:
Nunc datus ille orco est; telum stridore, manúque
Nunc vacat; ad tumulum præda petita volat.

In temulentos, TIT. XX.

LEONIDÆ. Iambis puris fecit Fl. Chr.

Maronis ebriosa, doliorum anus
Cinis perennis hîc iacet: sed illius
Inest sepulcro & exstat Atticus calix:
Nec illa liberos gemit sub inferis
Suos, virúmque, quos reliquit indigos:
Sed illud vnum, inanis hic quòd est calix.

ARGENTARII.

Quæ plus dilexit Bacchum quàm quæ dedit Ino
Vbera, Aristomache garrula anúsque bibax:
Mortua quum terras subiisset, & omnis abisset
Spiritus, exhaustis antè meri cyathis,
Minoëm est affata, Leuem huc mihi protinus vrnam
Siste, feram nigram mœsti Acherontis aquam;
Ipsa etiam sponsum occidi: sed talia finxit
Infrà etiam vt posset læta videre cadum.

ANTIPATRI.

Quid querar? an Bacchũ culpem, an potius Iouis im-
Incusem? lubricos tentat vterque pedes: (brem
Namque satur rediens conuiua Polyxenus olim,
Cùm de præcipiti fortè labasset agro,
Hîc iacet Æolide Smyrna procul: vuidus ergo
Hinc discat pluuiam nocte timere viam.

In mœchos, TIT. XXI.

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

Carpebat gaudens alienæ vxoris adulter
Furtiua illiciti gaudia concubitûs;
Culmine cùm toto subitò ruit, atque scelestis
Corporibus nexum presſit vtrumque domus:
Vincula vtrumque tenent cōmunia; corpus vtrumq;
Vnum fit, nexus coniugiique manet.

In eos qui naufragium paſſi sunt, TIT. XXII.

LEONIDÆ.

Aſpirent nautis auræ: ſin triſtior illis,
Vt mihi, ad Orcinos proximat vnda lacus,
Non culpanda vnda eſt; ſed tantùm audacia nautæ,
Soluerit è tumulo qui retinacla meo.

PLATONIS.

Naufragus en ego; ſed fuit occidentibus vndis,
Interna tunica me ſpoliare, pudor:
Nunc è tantillo proh! quanta piacula lucro
Fert duri auſa hominis me ſpoliare manus:
Induat ille quidem per me licet, & ferat Orco,
Nec Minoa gerens noſtra latere queat.

SIMONIDIS.

Hos olim è Sparta Phœbò ſpolia alta ferentes
Vna vnda, vna ratis, nox ſimul vna tegit.

ISIDORI ÆGEATÆ.

Verba naufragi ad agricolam.

Hoc agger eſt ſepulcrum: heus tuos boues

Parúmque siste, vomeréſque retrahe;
Tibi cinis mouetur: ergo lacrymas,
Non grana frugum in hunc refunde puluerem.

EIVSDEM.

Non Nicophemum siderum occaſus, neque
Hyems Libyſsis obruit ſub fluctibus;
Sed in quieta (proh miſer) Salacia,
Ceſſante vento, eſt arida enectus ſiti:
Quæ culpa venti eſt maxima: ò quantum malum
Fert aura, ſeu flans, ſiue clauſa nauitis!

STATYLLII.

Grynæum vetulum, vilis cui tota faſelus
Vita erat, & totus, retia iacta, labor,
Aſpra graui maris vnda Noto ſubmerſit, & ipſis
Reddidit exiguo tempore littoribus,
Palmas ambeſum: an piſces ratione carebunt,
Inſtrumenta ſuæ qui necis, vna vorant?

ADDÆI MITYLENÆI.

Piſcator Diotimus, cui ſuper æquore nauis
Fida erat, in terra pauper erátque domus,
Indulgens ſomno immitem deſcendit ad Orcum
Naue ſua vectus, remus & ipſe ſuus;
Quǽque ſeni dederat quondam ſolatia vitæ,
Profuit extremi nauis in igne rogi.

HETRVSCI MESSENII.

Vna Hieroclidem ad vitam ratis egit, & Orcum,
Vtrumque officium gratificata ſeni:
Vt piſcantem aluit, ſic caſſum luce cremauit,
Cum venante comes, cum moriente comes.

Felix qui propria pelagus piscator adiuit,
Qui propria stygias naue petiuit aquas.

ASCLEPIADÆ.

Qui tumulũ ad nostrum fortè accidis, hospes, inanem,
Cùm Chion aduenies, inque Melesagoræ
Quæso patri, perijsse ratem cum mercibus, & me,
Flante Euro, Euippi nomen inane manet.

LEONIDÆ.

Fortè minas glauci Tritonis naufragus Antheus
Fugit, Thessalici non tamen ora lupi;
Peneos interijt prope flumina, proh miser! eheu
Plus habuit Nymphis Nereïdes faciles.

IVLIANI.

Nec venti flantes, sed nec te perdidit æquor,
Sed mercaturæ magna cupido vagæ:
At me parua iuuet terrestris vita, per vndas,
Et ventos alius lucra malignus amet.

EIVSDEM.

Hypatij en tumulus; sed non habet ille cadauer,
Tantus quum tanti sit ducis Ausonij:
Nam verita exiguum magno tribuisse sepulcrum
Terra viro, tumulum maluit esse mare.

ANTIPATRI.

Semper idem omne mare est; stultum est hic Cycladas,
Angustã vndã Helles, saxaq; acuta queri; (atque
Frustrà hoc nomen habent: si dum fugio illa pericla,
Scarphæi portûs me grauis vnda tegit.

Pro reditu votum faciat qui nauigat: vndæ
Non mutant: Situs hîc hoc scit Aristagoras.

INCERTI AVCTORIS.

Mercatorem olim, nupérque Philocriton agri
Cultorem tumulo hoc extera Memphis habet:
Scilicet huc Nili præceps se contulit vnda,
Atque noui glebas obruit agricolæ:
Euasit sæuum viuus mare, mergitur vndis
Nunc miser, & veluti naufragus hîcce iacet.

ONESTI.

Timoclis nomen proclamo, & cærula rimor,
Vndique quà miserum fortè cadauer erit:
Ah mutis iam est piscibus esca! superfluus hic nunc
Sum lapis, & frustrà littera sculpta manet.

XENOCRITI.

O miseranda, madent tibi adhuc salsugine crines,
Naufraga Lysidice, quam maris vnda tegit:
Nam cùm turbarent venti, pelagíque timeres
Virgo minas, cadis heu sub caua ligna trabis!
Ipse tuum nomen tumulus, patriámque loquetur
Tarson; at ossa vagans littoris vnda lauat.
Quàm dolet heu! genitor; nam quam nuptum dabat,
Virginẽ habet, sed nec triste cadauer habet. (heu! nec

ANTIPATRI.

Dum natat in Pelopis terram Nicaësius olim
Parua naue mari Damis ab Ionio;
Ille quidem nauem & populum, quem nauis habebat
(Quæ vis ventorum, quáque agitabat aqua)
Incolumis seruauit: vbi verò anchora saxo

Hæsit, confertæ frigora dura niuis
Oppreßére senem: viden' vt largitor amici
Portûs, Lethæum tu quoque littus habes.

SIMONIDIS.

Terra quidem corpus tegit extera, Clisthenes, at te
Euxinum errantem per mare Parca rapit.
Sic dulcis reditûs tibi spes fuit irrita, longè est
Et domus, & pelago patria cincta Chios.

ANTIPATRI.

Et desolata tectum sub rupe cadauer
Sæua fatigabit me maris vnda Lysin,
Auribus horrendùm stridens, surdóque sepulcro:
Cur propter pelagi me posuistis aquas?
Quod vita priuauit eum qui nondum onerata
Naue, at remigio nauta erat exiguo,
Naufragum faciens: sic dum mihi vita per æquor
Quæritur, è medio mors mihi tracta mari est.

ISIDORI.

Ex cultura agri me spes Eteoclea traxit
Æquoris, externæ mercis opus meditans:
Sulcabam mare Tyrrhenum, cùm præcipe nauis
Sum lapsu infelix obrutus huius aquis:
Quippe repens naui incubuit tunc temporis aura;
Heu non arua idem, veláque ventus agit!

In iuuenes, & puellas, TIT. XXIII.

INCERTI AVCTORIS.

Autumnum nostræ populauit auara iuuentæ
Vis Ditis, tumulo hoc condit auita silex;

Ætherij proles Ruffinus nomine dicor,
Frustrà equidem natus, sed genitrice bona:
Doctrina multùm florens, viridique iuuenta,
Heu tenebras iuuenis Tartara doctus habet.
Ne lacrymis hæc parce tuens monimenta, viator;
Nam te vel natum credo, vel esse patrem.

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

Assiduus iuris cultor fuit Agathonicus;
Sed leges nescit Parca timere ferox:
Nam raptum priuans sapienti iure peremit,
Iusta ætas nondum quum tetigisset eum:
Ad tumulum æquales miserè fata aspera deflent,
Ornaménque sui dulce sodalitij;
Ipsa comam genitrix vellens sua pectora tundit,
Non ignara vteri quis fuit antè labor:
Felix ille tamen iuuenili extinctus in æuo,
Morte cita vitæ tot mala damna premens.

PAVLI SILENTIARII.

Maturè thalamum, tumulum immatura subisti,
Flos quondam Charitum primule, Anastasia:
Nunc lacrymas fundit tibi cum genitore maritus,
Forsan & vmbrarum portitor ipse Charon:
Vix etenim totum vixisti sponsa per annum,
Quæ sex hîc annos nata, decémque iaces.

ERATOSTHENIS, In idem.

Innumerabilium exstinxit ver dulce leporum
Ah tibi crudiuoræ tabida mortis hyems!
Soli æquale decus rapuit manus atra sepulcri,
Cùm te annus caperet quintus ab vndecimo.

Mœstitiam patri atque viro tua fata dederunt,
Quorum magnus erat splendor Anastasia.

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

Suauis imago quidẽ, Eustathie, est tua; sed mera tãtum
Cera mihi es, nec iam vinula verba sedent
Ore tuo, pulchérque tui flos primulus æui
Heu, heu! nunc terræ fluxit acerba cinis:
Nam quintum, decimúmq; ingressum circiter annum
Te rapit anni huius bis duodena dies.
Nec tibi patris opes, nec aui sublimis honores
Succurrêre; tuam qui videt effigiem
De Parca queritur, crudeliter inquit iniquam,
Perdere quæ prorsus tale sit ausa decus.

IVLIANI Ex-præfecto, Ægyptij.

Crudelis Parca est; mitis magis: heu iuuenem, eheu
Sustulit! at senibus mente animóque parem;
Lætitia vacat omni, & cura liber ab omni est:
Coniugio caruit, coniugiíque malis.

PAVLI SILENTIARII,
In filiam suam.

Pro thalamo tumulum tibi, virgo puella, parentes
Struxerunt manibus tristibus, atque pijs:
At tu incommoda vitæ, Lucinæ'que labores
Vitasti, hos luctûs nubes amara tegit;
Namque duodennem Macetum te terra recondit,
Et formâ iuuenem, moribus atque senem.

PARMENIONIS.

Hîc Helene iaceo; luctu quam duplice mater
Prosequitur, fratris morte recente dolens;

At

At dolor est vnus: sponsis namque omnibus æquè,
Quæ nulli fueram propria, fleta fui.

CRINAGORÆ.

Multa suum quondam (nec dedecus) insula nomen
Respuit, humano nomine læta magis:
Sícque Cupidineas fas sit vos dicere; grande est,
Vobis mutatis nomen in hocce, decus:
Nam puero, cui vestra dedit nunc gleba sepulcrum,
Ipse indulsit Amor nomen & ora puer.
O terræ moles, vicináque littoris vnda,
Tu puero lenis, tu iaceásque leuis.

CALLIMACHI.

Manè sepultus erat Melanippus; Solis in ipso
Occasu, manibus virgo peremta suis,
Interijt Basilo, nec viuere fratre sepulto
Sustinuit; gemino sic domus aucta malo est
Patris Aristippi: nunc mœret tota Cyrene,
Quum viduam videat, & sine prole domum.

ANTIPATRI.

Me tellus Afram tenet Ausonis, ac prope Romam
Sum sita, arenoso littore virgo super:
At Pompeia altrix, domina & mea, flet quasi natam,
Méque iubet tumulo liberiore frui.
Tædæ aliæ intẽtam occupat hæc, nec vota secundum
Nostra, suam accendit Persephonea facem.

INCERTI AVCTORIS.

Heu, heu quàm miserum est, cùm mors lugẽda mariti,
Vel sponsæ; vel cùm flendus vterque simul!
Vt nunc Eupolin, atque Glycerion; horũ hymenæum

Exſtinxit prima nocte cadens thalamus:
Par luctus, triſtis quamuis, tu, Nicia, *natum,*
Túque tuam deflens, Eudice, *filiolam.*

ANYTÆ.

Antibiam deploro puellam, cuius amore
Plurimus intrauit tecta parentis amans,
Laudatos laudans mores, formámque: ſed omnium
Spem mors in præceps exitioſa ruit.

ANTIPATRI.

Hoc tumulo Rhodope, *genitrixque* Boïſca *iacemus;*
Nec ferrum, aut morbus cauſa fuêre necis:
Ipſæ, cùm patriam vaſtarent bella Corinthum,
Cœpimus egregiæ mortis obire genus:
Nam mea me mater letalis robore ferri
Percußit, vitæ prodiga & ipſa ſuæ
Suſpendit collo laqueum: Quia libera nobis
Seruili mors eſt anteferenda iugo.

In aues, TIT. XXIV.

AGATHIÆ SCHOLASTICI,
In perdicem.

Non vltrà, ô perdix, ſcopuloſis exſul ab agris
Te claudit tenui vimine facta domus;
Matutæ nec purpureos ſplendentis ad ortus
Fomenta alarum ſumma repente quatis:
Dira tuum feles caput abſcidit, abſtulit, eheu
Multa alia! & guttur non ſatiauit atrox.
Non leuis oſſa tegat puluis tua, ſed grauis, vt ne
Poßit, quod reliquum eſt, eruere illa tui.

EIVSDEM, In eandem.

Nempe mea rapta perdice, domestica feles,
Nobiscum sperat viuere posse domi:
At non, chara mihi perdix, inhonora iacebis
Mortua; cædam hostem te super ipse tuum:
Et nisi, quod tumulo dedit olim Pyrrhus Achillis,
Dem, semper turbas debilis vmbra dabit.

MELEAGRI, In cicadam.

Ebria stillanti vocalis rore cicada,
Agrestem musam sola per arua canis,
Membra super folijs, serras imitata, reponens,
Emittis Lyricos, corpore fusca, modos:
Alloquere ô nemorum resonante poëmate Nymphas;
Mutuáque Arcadico carmina redde deo:
Vt medij somnum Solis venatus opaca
Sub platano, vitem tela Cupidinea.

ANYTÆ, siue, vt alij volunt, LEONIDÆ.

Occidit agrestis nuper philomela locusta,
Occidit & querna sede cicada cubans;
Fletum vtrique Myro dedit, & commune sepulcrum,
Quando illi Orcus atrox ludicra bina rapit.

MELEAGRI.

O somni inductrix, mei amoris pausa locusta,
O musa arualis alicanorigera,
Natiuúmque Lyræ simulamen, dulce quid alis
Et pedibus vibrans emodulare mihi:
Vtque adimam vigiles curas, ordire, locusta,
Diductæ vocis carmen amoriuagum;
Hinc tibi manè feram vernantis munera porri,
Et scindenda ori roscida frusta tuo.

INCERTI AVCTORIS.

Implumes alis pullos dum nuper, hirundo,
Pignora materno chara tepore foues,
Irruit in nidum coluber, quadruplexque volutus
Eripuit tibi mox dulce puerperium;
Te quoque dum populare parat lugubre gementem,
Decidit igniuomi pronus in ora foci:
Iure nocens periit; viden' vt Volcanius ignis
Progeniem nati est vltus Erichthonii.

LEONIDÆ.

Exiguus quamuis, ipsóque in limine nobis
Pro tumuli iniectus pendet honore lapis:
At meritò tamen est, hospes, laudanda Philænis;
Nam quæ spinosis antè locusta locis
Vixi, cantantem geminis dilexit ab annis,
Nunc postquam seris sum viduata sonis,
Imposuit tumulo, nec spreuit luce carentem,
Eductæ'que diu parua sepulcra dedit.

MNASALCI.

Hospes, aëripedis fulicæ tumulum aspicis, olim
Cui rapidum tellus nutriit alma genu:
Nam cursu multas æquauerat impigra naues,
Ales vti, in longas vsque secula vias.

In poëtas, TIT. XXV.

PAVLI SILENTIARII.

Pieridum os sapiens diuinum hic condit Homerum
Rupis honorandus littoreæ tumulus:
Quòd si parua virum quum sit capit insula tantum,
Hospes, mirari desine, quisquis eris:

Namque ſoror Delus Latonæ erroribus acta
Accepit partus matris Apollineos.

INCERTI AVCTORIS, ſiue ANTIPATRI, vt videtur Fl. Chriſtiano.

Oeagróque & Calliopa natum Orphea, flauæ
Fleuerunt caſſum lumine Biſtonides,
Brachia ſanguineo variantes verbere, & atro
Spargentes crinem puluere Threïcium.
Ipſæ etiam, Phœbo citharæ rectore gemente,
Cœperunt lacrymas fundere Pierides,
Lugentes vatem; quin ſaxa & robora flerunt,
Ad citharæ dulces antea ducta modos.

IVLIANI Ex-præfecto, Ægyptij, In Archilochum.

Cerbere, qui nigras terres latratibus vmbras,
Iam potes horrendæ tela timere animæ:
Occidit Archilochus; rabiem mordacis iambi,
Quem peperit linguæ bilis amara, fuge:
Nota huius linguæ tibi robora; cùm tibi natas
Cymba Lycambeas duceret vna duas.

INCERTI AVCTORIS, In eundem.

Nunc adhibe vigiles oculos, nunc cautiùs Orci
Ærea cuſtodi limina, terne Canis:
Nam ſi, quò Archilochi vitarent virus ïambi,
Priuarunt ſeſe luce Lycambiades:
Non video qui non tenebrarum deſerat aulas,
Omnes vt fugiant tot maledicta ſiti.

THEOCRITI, In Hipponactem.

Muſis amicus hîc, viator, Hipponax

Iacet; ſepulcrum ne ſceleſtus attinge:
Sin vir bonus, frugique es, ad bonos manes
Aſsiſte tutus; deinde ſi lubet, dormi.

INCERTI AVCTORIS, In eundem.

Hoſpes, ſepulcrum grandiniſremum fuge,
Quo dirus Hipponax iacet; cuius cinis
Et nunc ïambos fundit hoſtem in Bupalum:
Vide vt crabronem dormientem ne excites,
Qui nec dum in Orco edormijt bilem ſuam,
Pede recta torquens claudicante carmina.

ANTIPATRI, In Æſchylum.

Qui Tragicam vocem, & ſublimis verba Camœnæ
Firmauit tereti primus in eloquio,
Æſchylus Euphorionis, Eleuſinijs procul oris
Hîc iacet, & tumulo Tænariam decorat.

INCERTI AVCTORIS, ſiue IONIS,
vt placet Fl. Chriſtiano.

Quamuis flebilibus fatis, Euripide, obiſti,
Et fueris canibus cœna petita feris,
Mopſopium decus, & ſcenarum dulcis aëdon,
Cui Tragica eſt ſophiæ gratia mixta bonis;
Pellæum ad tumulum tamen hîc ades, vt loca Muſis
Sacra colas, quarum cultor amicus eras.

ERYCII, In Sophoclem.

Ad nitidum ſemper tumulum tibi, dîe Sophocles,
Scenales ſerpant mollipedes ederæ;
Et tua taurigenæ libent monimenta volucres,
Vndique Hymettæi melle rigata faui;

Vt fluat Actæi libri tibi cera perennis,
Vtque tuas cingat multa corona comas.

AGATH. SCHOLASTICI, In eundem.

Te cantare choris solitum, natúmque Sophili,
Et sidus Musæ Cecropium Tragicæ;
Cui sæpe in thymele & scena florénsque virénsque
Cinxit Acharnensis tempora vara edera;
Nunc tumulus tenet, & terræ pars parua: quod æui
Restat, in æternis aspicias folijs.

ANTIPATRI THESSALONICENSIS,
In Alcmanem.

Ex saxo ne nosce virum: non grande sepulcrum
Cernis; sed magni quod tegit ossa viri:
Cognosces Alcmana, bonum pulsare Lacænam
Barbiton; hunc Musis annumerare decet.
Ille iacet, geminis terris contentio, Lydus,
Siue Lacon; multas vates habet patrias.

ANTIPATRI SIDONII,
In Anacreontem.

Quadruplices ederæ tua tempora, Anacreon, ornent,
Et tenera ex pratis purpureis folia;
Et niueo fontes erumpant vndique lacte,
Fundat odoratum terra benigna merum;
Munus vt ossa, cinisque tuus lætabile carpant:
Tangere si manes lætitia vlla potest.

INCERTI AVCTORIS, In eundem.

Semper amica tibi fuerat Lyra; nec sine Amore,
Nec sine carminibus vita peracta tibi est.

INCERTI AVCTORIS, In eundem.

Hoſpes, Anacreon hoc tumulo ſum, tu mihi partem
Funde meri; ſiquidem potor erámque meri.

INCERTI AVCTORIS,
In Callimachum.

Docti Battiadæ celeberrima ſomnia, verum
Vos cornu, candens non animauit ebur:
Talia nam per vos, quæ nos tamen antè latebant,
Nobis déque deis, ſemideíſque patent:
Cùm ſublimem illum Libycis duxiſtis ab oris
In montem Muſis gratum Helicona ſuis:
Reſpondent illæ ſcitanti alterna canentes,
Heroum cauſſas, expediúntque deûm.

ASCLEPIADÆ, In Erinnam.

Hic dulcis labor eſt Erinnæ, non equidem ingens,
(Nempe nouem annorum virginis, atque decem)
Sed multis alijs præſtans: ſi vita fuiſſet
Longior, æqua illi gloria nulla foret.

INCERTI AVCTORIS, In eandem.

Melliti, & verni quæ carminis antè fuiſti
Cycnæum, genitrix, ore locuta melos,
In triſtes Acherontis aquas, per luce carentum
Regna egit nentis Parca magiſtra colûs;
Iam te, Erinna, choros cum Muſis ducere clamat
Carminis ille tui non moriturus honor.

ANTIPATRI, In eandem.

Nec verboſa Erinna, & vates pauca locuta eſt,
Parua quidem numero carmina, docta tamen:

Nam ſua eis laus eſt, nec edax obliuio carpit,
Ala nec obſcuræ noctis iniqua premit:
At verò innumeri vates, & ſcripta recentum,
Hoſpes, honorata plurima luce carent:
Ingrata eſt ventis diſperdita ouatio corui;
Gratus olorino paruus ab ore ſonus.

AGATHIÆ, In Euſtorgium.

Antiochenſi vrbi ne dixeris iſta, viator,
Ne forſan rurſus Caſtalis vnda gemat:
Ante diem Muſas Euſtorgius ille reliquit,
Irrita Romani ſpes cadit ille fori;
Vix annos ſeptem atque decem confecit, inanem
In cinerem ætatis vertit adulta ſeges:
Terreſtri tumulo nunc conditur, ínque vicem huius
Nil præter nomen cernimus, & tabulas.

INCERTI AVCTORIS,
In Theodorum.

Heu! triſti fato interijt Theodorus, & vnà
Priſcorum vatum turba canora perit:
Omnis enim ſpirabat eo ſpirante, cadente
Tota cadit; moles vnica cuncta tegit.

INCERTI AVCTORIS,
In Leonidem.

Heu procul Italia iaceo, patriáque Tarento!
Ægrè hoc diſsidium plus quoque morte fero:
Talis & erronum vita eſt inuita; at amarunt
Me Muſæ, hoc inter tot mala dulce mihi eſt;
Morte Leonidium non eſt delebile nomen;
Semper Muſarum me ſacra dona canent.

In pastores, TIT. XXVI.

DIOTIMI, siue, vt alijs placet, LEONIDÆ, In Therimachum.

Ipsæ consperſæ densa niue per iuga montis
Ad stabulum armenta mox rediêre boues;
Therimachus longum heu! somnũ dum dormit, opaca
Sub quercu, ætherij tactus ab igne Iouis.

CALLIMACHI, In Astacidem.

Cretensem Astacidem de monte abduxit Oreas,
Caprarum dominum: nunc sacer Astacides
Dictæis habitat sub quercubus: Ergo canemus
Pastores, non iam Dapnin, at Astacidem.

MYRINI.

Nympharum ille gregis vicana ad pascua custos,
Æqua canens Thyrsis Panos arundinibus,
Sub pinu vmbrifera dormit perfusus Iaccho,
Ipse gregem sumpto seruat Amor baculo.
Ah! Nymphæ, Nymphæ securum excite luporum
Pastorem, ne sit præda Cupido feris.

In pauperes, TIT. XXVIII.

CALLIMACHI.

In tenui tenuem vitam re Micylus egi,
Nec quenquam læsi, terra benigna, virum:
Si quod mente scelus concepi, nec mihi fiat
Terra leuis, lenes nec mihi fite, Dij.

In rhetores, TIT. XXX.

INCERTI AVCTORIS.

Rhetoris Antipatri tumulum aspice: qualia, quanta

Spirabat viuens, Græcia testis erit.
Sed dubitatur adhuc, Nilo sit, an ortus Athenis;
Nam certè terra dignus vtraque fuit:
Quin & origo, vt fama refert, his vrbibus vna est;
Atque hæc sorte fuit Palladis, illa Iouis.

In filios, & filias, TIT. XXXI.

PHILIPPI.

Architeles lapicida, peremto Agathanore nato,
Mox miseris tumulum composuit manibus;
Ah! lapis ille fuit lacrymarum extusus ab imbre,
Iámque liquens, non quem ferrea scalpra premunt.
Esto, ô cippe, sito leuis, vt verè autumet ille,
Imposuit lapidem rite paterna manus.

ANTIPATRI.

Hæc lacrymosa tuum, duodennnis ô Artemidore,
Ad tumulum genitrix vociferata tua est,
Occidit heu nostri partûs labor, iuit in ignes!
Heu patris studium Pammenis omne perit!
Impercepta mihi pereunt proh gaudia! quando,
Vnde redit nemo, tristia regna subis,
Nondum ad speratos, fili, progressus ephebos,
Nunc cinis, & restas muta columna mihi.

ANYTÆ.

Hæc postrema patri, circumdans brachia, dixit
Verba Erato, lacrymis grandibus ora rigans,
Chare pater, tibi nunc pereo; vicinia mortis
Obscuræ mihi iam lumina palla tegit.

EIVSDEM.

Multa super tumulo genitrix lacrymosa puellæ

Æuibreuis natæ est vociferata suæ,
Charam animam cõplexa Philænidis, ante hymenæos
Quæ viridem euasit nigri Acherontis aquam.

In philosophos, TIT. XXXII.

INCERTI AVCTORIS,
In Democritum.

Nunquam ridentes quamuis, Proserpina, manes
Infrà habeas; animam suscipe Democriti
Ridentem placidè: quando solo pia risu
Pro te olim genitrix anxia mota tua est.

INCERTI AVCTORIS,
Tanquam à Diogene cynico.

Nil liqui in tellure, Charon feret omnia: cauda,
Cerbere, adulanti me quoque nosce canem.

ANTIPATRI, In septem Sapientes.

Te, Cleobule, dedit septem ex Sapientibus vnum
Lindus, Sisyphij te Periander habent,
Pittacon at Mitylena, Biantáque dîa Priene,
Miletúsque Thalem, iustitiæ columen,
Chilonem Lacedæmon, & Attica terra Solonem,
Omnes in Sophia nobiliore duces.

Apophthegmata septem Sapientum, quæ ad eundem titulum Libri I. referenda sunt.

Et patriam, & linguam, & Sapientum nomina sep-
Græcia quos coluit, totidem tibi versibus edã. (tem,
Optima res modus est, *Cleobulus Lydius inquit:*
At Te ipsum noris, *natus Lacedæmone Chilo:*
Vince iram, *monuit Periander ab vrbe Corintho:*

Nil nimium, *dixit* Mitylena *Pittacus ortus*;
Atticus ille Solon *sciuit*, Finem aspice vitæ:
Esse, *Bias*, plerosque malos, *ait ille Prieneus*:
Sponde, aderit *mox* noxa, *Thales Milesius effert*.

CALLIMACHI, In Pittacum.

Hyrrhadio genitum, Mitylenæúmque rogauit
Hospes Atarnites Pittacon hocce modo;
Me duplex, bone vir, thalamus vocat: vtraque nym-
Atq; habet vna genus, diuitiásque pares; (pha est,
Altera præcellit vincitque, vtroque superba;
Eia vtram ducam, da mihi consilium;
En pueri in triuijs torto sub verbere multi
Turbones versant per spatia ampla citos:
Ille autem baculum sustollens, arma senectæ,
Hi tibi responsum quod petis omne dabunt;
Adsequere illorum vestigia, dixit: at ille
Accessit; pueri, Sume parem, *referunt*:
Audijt, & monitis parens puerilibus hospes,
Abstinuit magnam tangere velle domum:
Vtque hic parua domum duxit connubia; nympham
Sic memor esto, Dion, semper habere parem.

DIOGENIS LAERTII, In Empedoclem.

Et tu olim, Empedocles, flamma de faucibus hausta
Perpetuis, puro corpus in igne nouas:
Nec te sponte Ætnæ feruentes mittis in vndas;
Sed cadis huc nolens, credo latere volens.

EIVSDEM, In eundem.

Occidit Empedocles curru delapsus, vt aiunt,
Fregisset dextrum quum sibi fortè femur:

Qui si hausit vitam insiliens Siculi ignis hiatus,
Cur tumulus Megaris visitur eius adhuc?

CALLIMACHI, In Heraclitum.

Effudi lacrymas postquam te lumine cassum,
Heraclite scij; quippe memor quoties
Condidimus solem in sermonibus: attamen, hospes
O Halicarnasseû, iam potes esse cinis;
Sed viuent tua scripta; nec, omnia qui rapit Orcus,
Inijcere obscuras audeat hisce manus.

LEONIDÆ, In Epictetum.

Seruus Epictetus, Dijs charus, pauper vt Irus,
Quin & parte aliqua corporis orbus eram.

PLATONIS.

Nunc quando hoc vnum dixi, formosus Alexis,
Omnis in hunc vertit lumina, multus amat: (bis:
Quid canibus monstras, Anime, ossa? proinde dole-
Non Phædrus nobis hac ratione perit?

167

EX LIBRO QVARTO ANTHOLOGIÆ DIVERSORUM *ſorum Epigrammatum veterum.*

In effigies proborum virorum, TIT. I.

LEONTII SCHOLASTICI,
In effigiem Gabrielis, Byzantij Præfecti.

ET Soli pictura ſua eſt, & imago; ſed illum
Ars ſolet abſque ſuis pingere luminibus:
Sic Gabriel ſapiens vrbis primarie, non eſt
Picta tua hîc virtus, aſsiduúſque labor.

EIVSDEM,
In effigiem Callinici cubicularij.

Forma animi ſuperas omnes, velut illicis oris,
Nominibúſque iſtis omnia digna refers:
Quin Regis thalamum accurans clementis, in aurem
Semina virtutis clam manifeſta iacis.

AGATHIÆ, In effigiem Sophiſtæ cuiuſdam, quæ ob legationem vrbanam illi conſecrata fuit Pergami.

Mellea quas meruit ſtatuas facundia linguæ,
Excuſa dudum debita dona tibi:
At nunc pro cura, & ſtudijs ſeruantibus vrbem,
Erecta à nobis iſta tabella tibi eſt:

Parce quidem, ſi paruus honor; nos quippe ſolemus
Hoſtimenta probis iſta referre viris.

IOANNIS Poëtæ Barbocalli, In effigiem Synesij, quæ ob partam victoriam illi conſecrata fuit Beryti.

Non ſolus fortes Eurotas bellicus, vt nec
Iuſtitiæ memores ſolus Iliſus habet:
Syneſium ſtupuit Themis & victoria, ſed ceu
Cecropium ciuem, ceu Lacedæmonium.

AGATHIÆ SCHOLASTICI, In effigiem Thomæ in domo Placidiana erectam à Comitibus noui ſcrinij.

Curatorem inculpatum dominantis in orbe
Thomam, omnis pubes ô legione noua
Diuinam iuxta bigam poſuêre, vt imago
Vicinum imperio poſſet habere locum.
Ipſe domûs etenim erexit decora ardua ſacræ,
Auxit opes domini, cum pietate tamen;
Sic gratus labor hic: namque hoc pictura dat vnum,
Debita virtuti gratia nulla perit.

INCERTI AVCTORIS.

Te ſexus, Regina, canet, te ſpiritus omnis,
Hoſtiles acies quòd fuderis, & quia pacis
Poſt fera bella catis lumen mortalibus adfers,
Gentilis longè ſpargens incommoda pugnæ.

APOLLONIDÆ.

Et binos Phrygas, & Cinyram eſt mirata vetuſtas;
Te, formoſe Leo, carmina noſtra canent:

Inclyte Cercaphida, felix Rhodus insula, si quæ
Felix, quæ tali Sole beata nitet.

In pugilum effigies, TIT. II.

PHILIPPI.

Dum forsan, hospes, tauriuentrem me vides,
Et firmimembrem, Atlantis instar, obstupes,
Non autumans hominem; sed esse omnis tamen
Pugnæ scientem Ladicensem Heram scies:
Quem Smyrna cinxit, atque quercus Pergami,
Delphi, Corinthus, Argos, Elis, Actium:
Sin cætera optas scire tot certamina,
Quæras Libyssi mensor esse pulueris.

In Baccharum imagines, TIT. III.

PAVLI SILENTIARII,
In Baccham quæ Byzantij erat.

Baccham aliquis prohibe, ne, quamuis saxea, limen
Occupet, & templo se vaga proripiat.

AGATH. SCHOLASTICI, In eandem.

Forte verecundam Baccham, nec cymbala doctam
Plaudere, adhuc manibus hîc lapicida tenet;
Prominet illa adeo, & veluti clamare videtur,
Ite hinc, plausum edam, si modo sola siem.

In simulacra regum, TIT. IV.

CRINAGORÆ.

Ortum habet, & gemino occasum pro limite mundus,
Hunc per vtrumque etiam facta Neronis eunt:
Sol videt Armenios oriens, quos ille subegit,
Germanos domitos aspicit occiduus.

Cantetur duplex victoria; nouit Araxes
Et Rhenus, quos plebs barbara serua bibit.

INCERTI AVCTORIS,
In effigiem Pisistrati.

Ter regnum accepi, toties à plebe maligna
Pulsus Erechtheïdum; ter reuocatus ego
Consilio pollens Pisistratus ille, reduxi
Qui dispersa olim carmina Mæonidæ:
Nam si olim Actæis gauisa est Smyrna colonis,
Aureus hic noster ciuis Homerus erat.

GEMINI.

Cecropidis grauis ille lapis, Marti sacer hîc sum,
Signa Philippeæ quæ feritatis erant,
Vt pudeat Marathona sui, & Salamina marinam,
Quorum facta premunt arma Macedonica.
Iura nunc vmbras, Demosthenes, vt libet: atqui
Viuis, atque sitis vsque onerosus ero.

INCERTI AVCTORIS,
In magistratum.

Temperet affectus lenes pars pauca timoris;
Nam stimulis armantur apes, quæ mella reponunt,
Et loris regitur sonipes, atque audit habenas;
Sed nec turba suum sese parere subulco
Postulat, ante pedi stridens & missile murmur.

ANTIPATRI.

O regum soboles, Marti, Phœbóque, Iouíque
Felici matris æqua puerperio;
Nil nisi perfectum, nil non regale dederunt
Fata tibi, hinc vates materiam capiunt.

Forma quidē Phœbi eſt, ſceptrū Iouis, haſta Gradiui;
Omnia confusè quæ, Coty, ſolus habes.

In mulierum effigies, TIT. V.

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

Me quondam tenuit mœcham Byzantia Roma,
Venalem paßim quæ dedi amicitiam,
Callirhoë dicor quæ dædala; amoris ab œſtro
Percitus hac Thomas me poſuit tabula,
Oſtendens animi multùm flagrantis amorem;
Nam cor tanquam igni cera, liqueſcit ei.

INCERTI AVCTORIS.

Virtutis formam mirè exprimit iſta tabella;
Lætus ocellorum tam bene ſplendet honos,
Te vt videat, cauda & gannitu vocis adulans,
Cernere ſe dominam fida catella putet.

In pictores, ſtatuarios, & in vniuerſum imagines, TIT. VI.

ÆMILIANI.

Ars tua, Praxiteles, ſaxum hoc hilareſcere cogit;
Solue modò, & repetet liberiora ioca:
Iam nobis non eſt ſubleſta ſenecta; lubentes
Sed petra Silenos inuidioſa ligat.

In ſtatuas animalium, TIT. VII.

ANTIPATRI SIDONII,
In vaccam Myronis.

Cur, vitule, immugis? cur viſcera noſtra fatigas?
Ars dare lac noſtris noluit vberibus.

In eandem.

Mugiet hæc, credo, bos; quòd si tardiùs, æris
Ignari, haud docti culpa Myronis *erit.*

ANTIPATRI, In eandem.

Ista iuuenca, vides? immugiet; ergo Prometheus
Non solus, fingis & tu animata, Myro.

INCERTI AVCTORIS, In eandem.

Forda bouem ex aluo finxit; sed iure putetur
Non finxisse bouem, sed peperisse Myro.

INCERTI AVCTORIS, In eandem.

Ænea sit quamuis, vocem cornuta tamen bos
Ederet; at fecit viscera nulla Myro.

ANTIPATRI, In eandem.

Sub iuga me cogat lorata quis, & sub aratrum;
Ars etenim tua me coget arare, Myro.

DEMETRII BITHYNICI, In eandem.

Me videat vitulus, mugibit, taurus inibit,
Et me, si videat, cum grege pastor aget.

EIVSDEM, In eandem.

Hîc me stare bouem fecit Myro*: saxa bubulcus,*
Ceu desertricem me putet esse, iacit.

IVLIANI Ex-præfecto, In eandem.

Fortè Myroneam dices spectando iuuencam,
Aut certè exanimis natura, aut ars animata est.

EIVSDEM, In eandem.

Quid stimulas? cur vis præcurram? absiste bubulce,
Non etenim ars nobis istud habere dedit.

EIVSDEM, In eandem.

Æra Myron sapiens animauit docta, vel idem
Ærauit sumptam de stabulis vitulam.

PHILIPPI MACEDONIS,
In eandem.

Colone arator, lora de collo meo,
Ferrúmque deme vomeris, sulci patrem:
Negauit æri nam meo carnem Myron:
Viuos sed arti miscuit vultus labor,
Vt sæpe coner ore mugitum edere,
Hîcque alligatam me arcet à laboribus.

In aprum Calydonium.

Aspice quàm miti perfecit in ære ferocem
Sculptor aprum, sollers tantam animare feram:
Horrendùm lucent oculi, crudele minatur
Asper dens, horrent per fera colla pili,
Spuma rigens per labra fluit: non iam Hercule, miror
Si lectam heroum perdidit ille manum.

In effigies veterum, & heroum quorundam, TIT. VIII.

GALLI, In Tantalum.

Cælestis mensæ accubitor, conuiua deorum,
Ille olim ætherio nectare sæpe satur;
Nunc laticis misero mortalis amore tenetur,
Inferior labro sed tamen vnda manet.
Heus bibe, littera ait; sed sacra silentia disce:
Hæc magnas linguas pœna seuera manet.

In ſtatuam Herculis adhuc infantis, & manibus duos ſerpentes elidentis.

Prægrandéſque manus, teretéſque, inuicte, lacertos,
Hercule, ſerpentum guttura longa preme;
De cunis & iniquo, infans, aſſueſce labori,
Iunonis placans numina zelotypæ:
Nam te nec crater, nec ducti ex ære lebetes,
Sed magni aula Iouis, præmia certa, manent.

ARCHIÆ, In eundem, quum apud Nemeam leonem trucidaſſet.

Et Nemeæa fera eſt occiſa, necata mihi hydra,
Et mihi taurus, apri tum mihi fracta gena eſt,
Balteus extractus, capti pulli Diomedis,
Aurea mala tuli, Geryonem domui,
Augeam exſtinxi, & ceruam Cerynitin, auéſque,
Infernúmque canem; nunc deus aſtra colo.

DAMAGETI,
In eundem, & Antæum.

Quis gemere æs fecit? mira quis ab arte laborem
Fecit, & audacem finxit in ore animum?
Verè animauit opus, miſerétque laboris anheli, &
Fortiter audacis me Herculis horror habet:
Nam magnis premit Antæum turbátque lacertis
Implexum, vt gemitus edere corde putes.

In aliam eiuſdem ſtatuam.

Qualem Thîodamas Alcidem acceſſerat olim,
Artificis talem finxit acuta manus,
Clauam attollẽtem, taurúmque trahentem ab aratro;
Picta tamen non eſt hîc laniena bouis:

Thiodamanteo quia vox data forsitan ori
Plorans, Alcidem quæ retinere potest.

GEMINI, In eiusdem statuam.

Hercule dic, vbi claua tua est, pellisque Nemæa,
Arcúsque, & telis plena pharetra suis,
Ac tumor ille animi, quem quis facit vsque remissum?
Lysippus, curas qui dat in ære graues:
Arma doles erepta? quis illa tibi abstulit audax?
Ales (certamen non leuis hostis) Amor.

PHILIPPI, In eandem.

Ergo etiam hoc voluit, post tot certamina, Iuno,
Vt solita Alcides poneret arma ferox?
Pellis vbi leonina, humerisque sonantia tela,
Clauá dománsque feras? Hæc spoliauit Amor:
Nec res est miranda, Iouem qui fecit olorem,
Si nudare potest Amphitryoniádem.

IVLIANI, In Icarum aheneum in Balneo positum.

Icare, cera quidem te quondam perdidit, & nunc
Cum cera sculptor ducit ad effigiem;
Parce tamen volucres motare per aëra pennas,
Balnea ne facias, dum cadis, Icaria.

AGATHIÆ SCHOLASTICI, In Hippolytum colloquentem cum Phædræ nutrice.

Hippolytus vetulæ malè grata susurrat in aurem
Verba; sed audiri non potis ille sonus:
Sed quantùm ex vultu fas id nouisse furenti,
Admonet abstineat verba nefanda loqui.

CORNELII, In Cynegirum.

Non, Cynegire, velut Cynegirum Phasia pinxit
Te manus, ipsa manus quæ dat habere tibi.
Quin sollers pictor fuit hic, tibi qui dedit illas,
Quæ te immortalem constituêre manus.

ARCHELAI, siue, vt quibusdam videtur, ASCLEPIADÆ, In statuam Alexandri Macedonis.

Fortis Alexandri vultum Lysippus, & audax
Expressit pectus; vis, puto, in ære latet:
Æneus ille Iouem intuitur, similísque loquenti hæc,
Cessit, terra mihi, Iuppiter, astra cole.

INC. AVCTORIS, In Minotaurum.

Taurus nec vlla parte perfectus puer,
Et matris index, proditórque criminis,
Natura duplex, atque homo immixtus feræ,
Et corporum error, ille habens tauri caput,
Qui nec iuuencus integer, nec est homo.

In heroïnas, TIT. IX.

ANTIPATRI, In statuam Niobes.

Tantalis hæc est; bis peperit quæ pignora septem
Ventre vno, Phœbo victimam, & Artemidi,
Affecítque mares mas cæde, puella puellas,
Bis septem geminos bis geminíque necant:
At priùs hæc tanti mater gregis, auctáque natis,
Nulla habet ad seros pignora alumna dies.
Pignora nec matrem, (quod fas) sed pignora mater
Orba recens tristes duxit ad exequias.

Tantale te, natámque tuam mala lingua peremit,
Illa lapis facta est, tu lapidémque times.

INCERTI AVCTORIS, In effigiem Medeæ, quæ Romæ erat.

Timomachi ars odium, & maternum expreßit amo-
Medeæ, natis dum parat illa necem: (rem
Nam stricto hîc gladio scelus annuit, abnuit illic,
Et seruare suos, atque necare volens.

PHILIPPI, In eandem.

Colchida natorum crudelem cæde, feréśne
Assa vt sit prolis, stridula hirundo, tuæ?
Cuius adhuc oculus toruum rotat, igne cruento
Fulgerat, éque genis feruida spuma fluit,
Atque cruore recens ferrum madet, heu! fuge diram
Matrem, quæ in cera pignora adhúcque necat.

ARABII SCHOLASTICI, In Atalantam & Hippomenem.

Pernicis cursûs obicem, aut sponsalia dona
Hippomenes pretio iecerat aureolo.
Malum vtrumque facit: repressus virginis ille est
Impetus, & Veneris arrha iugalis erat.

EIVSDEM, In Andromedam.

Cepheus Andromedam saxis, pictórne locauit,
Ambiguum faciunt lumina iudicium.
Vel cetus scopulis sculptus pendentibus hæret,
Vicinas Nerei vel modò liquit aquas.
Hæc scio: sollerti sapiens perfecta labore
Finxit quod mentes falleret, atque oculos.

POMIANI, In columnam Polyxenæ.

Iſta Polycletea Polyxena; ſcilicet illa
Diuinam tetigit ſola manus tabulam,
Germanum Iunonis opus: vide, aperta pudenda
Vt lacero veſtis fragmine caſta tegat:
Pro vita infelix hæc ſupplicat, in ciliiſque
Virginis, ecce Phrygum bella ſepulta iacent.

In ſtatuam Echûs, TIT. X.

LVCIANI, ſiue, vt alij volunt, ARCHIÆ, Tanquam à Pane dictum.

Echo montiuagam viden', hoſpes, Panos amicam?
Illa quidem verbis verba repulſa canet;
Ludibrium dulce eſt paſtoribus, oris imago
Garrula, quótque dabis verba, tot accipies.

EVODI, In eandem.

Arcadiæ dea ſum, atque habitans chari ante Lyæi
Veſtibulum, acceptos reddere docta ſonos;
Symmiſtum nam, Bacche, tuum non amplius odi:
Pan adſis, & nos mutua verba iuuent.

In deorum, dearúmque ſtatuas, TIT. XII.

In ſtatuam Martis & Veneris.

Gradiuum & Venerem per mutua corpora nexos,
In media pictor fecit vtrumque domo:
Sed portam ingreſſus, qui diſpicit omnia Phœbus,
Sollicitè relegens furta vtriuſque videt:
Quando heu Phœbææ placabitur impetus iræ,
Quam nec cera etiam ponit in exanimi?

PLATONIS, In ſtatuam Veneris, quæ apud Cnidum erat.

Ad Cnidiam venit volitans in fluctibus vrbem,
Viſura effigiem pulchra Erycina ſuam;
Atque loco in celebri quum ſeſe cerneret, inquit,
Nudum vbi me potuit cernere Praxiteles?
At non Praxiteles, quæ non fas cernere, vidit:
Sed facit ars qualem Mars cupiat Venerem.

LEONIDÆ, In Venerem armatam.

Hæc Martis ſunt arma; quid induis ô Cytherea?
Fruſtrà fers humeris pondera tanta tuis;
Nuda armis Martem potis es ſpoliare: petentur
Fruſtrà homines, quando vincitur ipſe deus.

ANTIPATRI, In Venerem, quæ Lacedæmone armis induta viſebatur.

Quæ Venus eſt Spartæ, molles non veſtit amictus,
Qui mos in reliquis vrbibus eſſe ſolet;
Sed duram galeam geſtat pro ſimplice rica,
Próque aureis ramis intremit haſta manu:
Scilicet haud fas eſt vxorem cernere inermem
Threïcij Martis, & Lacedæmonij.

IVLIANI Ex-præfecto, In eandem cùm è mari emergeret.

Prodijt è partu nuper Cytherea marino,
Aſſáque Apelleæ ſola fuêre manus;
Iam te à pictura hac remoue, ne te inquinet ipſa
Crinibus expreſſis ſpuma marina cadens.
Si Venus ob malum talem nuda exhibuit ſe,
Non iure ô Pallas, diruta Troia tibi eſt.

LEONIDÆ TARENTINI, In eandem.

Nascentem adhuc è fertili matris sinu,
Spumáque murmurante conspersam Cyprin,
Tunc fortè præsens optimum formæ decus
Non pictum Apelles, sed animatum reddidit:
En rite summâ vt exprimit comam manu,
Lucent sereni luminum Cupidines,
Et mamma floris crudior prænuntia
Mala æmulatur proximè Cydonia:
At ipsa Pallas, & Iouis consors tori
Cedunt libenter iudicis sententiæ.

INCERTI AVCTORIS,
In statuam Bacchi Mineruæ statuæ proximè adiacentem.

Quid tibi commune est cum Pallade? luxus & esus
Bacche tibi; huic diuæ bellica tela placent:
Ne temere, ô hospes, de diuis talia quære;
sed cognosce quibus simus vterque pares:
Me quoque bellorum delectat adorea, testis
India ab Eoo victa mihi Oceano:
Deinde fouemus vterque homines, ego dulcibus vuis
Inuentis, bacca Pallas oliuifera:
Nullos nostra tulit mater paritura dolores;
Sed femur exsolui patris, vt illa caput.

ANTIPATRI SIDONII, In aliam eiusdem statuam.

Pisonis comes Ausonij, bellator Iacchus
Sto custos, ædes prosperitate beans:
Dignã, Bacche, domum reperisti: vtrumque decebat,
Et Bacchũ hæcce domus, Bacchus & hãcce domũ.

EIVSDEM, vt placet Fl. Christiano.

Thebis natus vterque, acer bellator vterque,
Hic thyrso, hic claua; natus vterque Iouis;
Proximam habēt ambo columellā, ambo paria arma,
Ille leoninæ pellis, hic inuleæ;
Cymbala sunt isti, sunt illi tympana grata,
Atque vtrique ferox addita Iuno fuit;
Mortalem flammis vitam finiuit vterque:
Tandem ad cælestes venit vterque deos.

In statuam Mercurij.

Mercurium ex ligno qui orabat, repperit esse
Lignum: ergo attollens illum proiecit; at aurum
Ille dedit ruptus: Dat sæpe iniuria lucrum.

PHILIPPI, In aliam eiusdem statuam, quæ in horto erat.

Crambémne inuadam, Cyllenie? Parce, viator:
Ecquæ olerum inuidia est? Nulla quidē inuidia est,
Sed lex furta vetans: mirum, quis credere posset?
Lege noua furtum Mercurius prohibet.

SATYRI, In statuam Amoris vincti.

Quis tulit aligerā huc, rapidámq; in vincula flāmam?
Quísve pharetratas afficit igne faces?
Quis tam audax potuit tereti astrinxisse columnæ,
Tam firmas nodans, tam celerésque manus?
Frigida sunt isthæc hominum solatia: quid si
Vinctus lictoris vinxerit ipse animum?

ANTIPATRI, In eundem.

Quis fixit palmas nodoso fune columnæ?

Ignem quis cæpit igne, dolúmque dolo?
Ecquid te pudet ô lacrymis tenera ora rigare,
Quem iuuenum lacrymæ, parue Cupido, iuuant?

CRINAGORÆ, In eundem.

Fleas, gemásque, si lubet, manibus tenens
Constricta colla, perfide; hæc te digna sunt,
Nec soluet vllus: aufer intuerier
Miserandùm: & ipse lacrymas extundere
Alijs suëtus, tela figis pectori
Amara, amoris atque ineuitabile
Fundis venenum, humana deridens mala:
Quæ ferre cogis, nunc ferendum: hoc ius bonum est.

TVLLII GEMINI, In Amorem Praxitelis.

Phrynem immortali mortalem donat Amore
Praxiteles, pretium sic fit amoris Amor:
Artificem tantum non abnuit illa, timétque
Defensorem artis qui ferat arma deum;
Atque tuum nunc, Praxitelis, formidat Amorem,
Non Veneris; genitum nam scit ab arte tuum.

In Amorem.

Accede huc, torrem qui flans accendere lychnum
Speras; vruntur pectora tota mihi.

PLATONIS, In statuam Amoris dormientis in nemore: Inuenta autem est sub aquis.

In nemus vmbrosum venientes, vidimus illic,
Purpureis similem pomis, Cythereïde natum,
Nec plenam telis pharetram, curuúmve gerebat
Arcum, frondosa verùm hæc super arbore pendent:

Ipſe roſas inter deuinctus lumina ſomno
Dormibat ridens; ſed apes ſuper incedentes
Mollia flauenti incerabant melle labella.

STATYLLII FLACCI,
In Amorem dormientem.

Dormis, qui inſomnes curas mortalibus infers,
Securus dormis, Cypridis alme puer;
Nec tibi fax pendet, nec ineuitabile cornu
Ignea protenſo ſpicula fune iacit:
Confidant alij: vereor tamen, improbe, ſemper
Ne mihi, dum dormis, ſomnia dira feras.

SECVNDI, In Amorum ſtatuas.

Gaudentes ſpolijs puſos en aſpice Amores,
Vtque humeris diuûm talibus arma ferant;
Et fulmen Iouis, & cum thyrſo tympana Bacchi,
Et clypeum, & galeam fortis Enyalij,
Neptuníque tridentem, arcúmque, & ſpicula Phœbi,
Et clauam ex manibus Amphitryoniadæ:
Quid faciant homines, cœlum ſi cedit Amori,
Almáque diuorum ſuſtulit arma Venus?

PARMENIONIS, In ſtatuam Iunonis.

Ille Polyclitus, ſolus qui lumine quantam
Iunonem vidit, exprimit arte ſua,
Oſtendit quod habet formoſi, quatenus eſt fas:
Abdita ſeruantur vel meliora Ioui.

ANTIPATRI, In effigiem Muſarum.

Tres ſumus hîc Muſæ terno ordine; prima cicutas,
Illa gerit manibus barbiton, iſta chelyn;
Iſta chelyn, ſed Ariſtoclis Muſa eſt; Ageladæ

Barbitos, & Canaches dulce cicuta ſonans.
Perficit vna tonum, facit altera Muſa colorem,
Tertia ſolertem repperit harmoniam.

ARABII SCHOLASTICI,
In ſimulacrum Panos fiſtula canentis.

Pana potes fragiles inflantem audire cicutas;
Quippe ſuum ſculptor ſic animauit opus.
Sed quum Echo fugiat, ſedémque incerta relinquat;
Cur fruſtrà calamis docta labella terat?

ANYTÆ, In fontem.

Rupe ſub hac feſſos artus depone, viator,
Dulcia per frondes murmura ventus agit,
Hoc de fonte bibes frigentia pocula, & hæc eſt
Grata viatori, Sole furente, quies.

EIVSDEM, In Pana.

Hîc ſeſe effundens ipſo venit ab Ioue amicus
Incubus, hoc ſupera nube ſat arguitur:
Mercurij pater eſt, nebularum Iuppiter auctor,
Panáque capripedem Mercurius genuit.

EIVSDEM, In eundem.

Cur ita in vmbroſis reſidens, Pan incube, ſiluis,
Suauiſona argutis ſibila das calamis?
Vt mihi paſcentes roranti in monte iuuencæ,
Pulchricomæ ſpicas depopulent ſegetis.

PHILODEMI.

Tres capit iſte lapis diuos; primum, capricornis
Effigiem Panos arguit eſſe, caput
Alcidis venter cum pectore; crura pedéſque,

Et femur alipedis propria Mercurij:
Ne quis sacra dijs posthac fecisse recuset;
Hostia nam diuis sufficit vna tribus.

APOLLONII SMYRNÆI,

In aliud Panos simulacrum.

Quid pateris, auróque deo libatis agrestûm?
Quóve mihi vinum funditis Ausonium?
Fortia taurorum quid saxo colla ligatis?
Non sunt grata meis talia sacra focis:
Pan ego montanus sum, & truncus, me iuuat agnos
Esse, & terrestri lac bibere in patera.

AGATHIÆ SCHOLASTICI,

In effigiem Satyri fistulam iuxta aurem habentis, & audienti similis.

Sponte leues, Satyrisce, sonos tua fistula mittit:
Aut quid ita accliui concipis aure tubum?
Ipse silet ridens, & forsan verba loquatur:
Sed præ lætitia nec meminisse potest:
Nam neque cera vetat, potiúsque silentia quærit,
Totum animum vertens ad studium calami.

EIVSDEM, In alium Satyrum.

Dum Satyrum Bacchus tantos anclare labores
Aspicit, indoluit, mox miseratus eum
Marmoreum fecit: sed nec sic desitus acer
Ille dolor: sed adhuc & dolet ipse lapis.

PLATONIS, In alium.

Sopiuit Satyrum Diodorus, nec, puto, scalpsit:
Punge modò, excibis; est & in ære sopor.

INCERTI AVCTORIS, In Amorem.

Arte nouum nuper Nemesis perfecit Amorem,
Semper in insanos imperiosa dea;
Mox alas alis, & Amorem opponit Amori,
Arma armis, arcus arcubus vlta nouis,
Vt quicquid nocuit, patiatur; sed prius audax
Ille, sed impauidus ora rigat lacrymis
Saucius, inque sinum ter despuit; ipséque, mirum!
Lædit Amorem, ignes ignibus vrit Amor.

In Dianam.

Artemi, vbi arcus, vbi illa humeris suspensa pharetra,
Atque Lycasteæ calceus endromidis,
Fibuláque ex auro, atque sinus collecta fluentes,
Purpurea ad summum pallia vincta genu?
Venatum incedens ego talibus induor armis:
Hoc habitu accipio sacra parata mihi.

In Mercurium.

Ærumnosa habito, & deserta in sede, viator;
Non ego, qui posuit, sic amat Archelochus;
Nec iuga summa Hermes, nec montes gaudet habere,
Angusta potius postulat esse via:
Sed qui vicinos nec habens, loca sola requirit
Archelochus, talem me quoque constituit.

INCERTI AVCTORIS, In Nemesim.

Me lapidem huc Persæ duxêre, insigne trophæum
Victorum vt statuant; núncque vocor Nemesis:
Me posuêre vtrique, trophæi Græcia victrix
Instar, ceu belli Persa sui Nemesim.

In medicorum effigies, TIT. XIII.

SYNESII SCHOLASTICI,

In effigiem Hippocratis.

Vnde is qui statuit? Byzantius: adiice nomen,
Eusebius: quis tu? Coïus Hippocrates:
Cur te igitur statuit? laudes vrbs reddidit illi
Pro nostris gratum munus imaginibus:
Cur se ipsum potiùs non finxit? quòd decorantis
Nos pro se, illius gloria maior erit.

LEONTII SCHOLASTICI,

In effigiem Iamblichi medici.

Ille omnes inter iucundus Iamblichus, ille,
Cui nunquam Veneris gaudia nota, senex
Exercens medicas artes, sophiámque: nec vnquam
Accepit manibus turpia lucra suis.

In hortos, TIT. XV.

PAVLI SILENTIARII,

In hortum maritimum.

Telluris pelagus sedem alluit; inuia nautis
Terrena æquoreo terga virent nemore:
Sollers, gurgitibus terras qui miscuit, algas
Hortis, Naiadibus pocula Nereïdum.

AGATH. SCHOLASTICI, In eundem.

Deserti agrestis pulchrum decus, æquoris extra
Vndas, ô vallis laurea, cede mihi:
Querquetulanæ etenim Nymphæ, pelagique colonæ
Nereïdes cœtum hoc instituêre loco,

Pugnantes pro me assertim; sed, iudice Conso,
Terminus hîc positus inter vtrasque fui.

In citharœdos, TIT. XVI.

BIANORIS, In effigiem Arionis citharœdi.

Hanc statuit statuam Periander Arioni, & illi
Qui simul adnauit, cùm moriturus erat,
Æquoreo delphini: at fabula Arionis inquit,
Nos seruant pisces, nos iugulant homines.

PAVLI SILENTIARII, In effigiem Mariæ citharistriæ.

Et citharæ plectrum, & plectrum moderatur Amoris,
Vnde animum pariter permouet, atque lyram:
O miseri quos sæua vrit! cui mollior, ille
Anchises alter, alter Adonis erit:
Quod si, hospes, rescire cupis tam nobile nomen,
Et patriam; Maria est orta puella Pharo.

In lapillos, TIT. XVIII.

PLATONIS, In Iaspida sculptum.

Quinque boum effigiem premit in se paruus Iaspis,
Pabula quas omnes carpere nota putes.
Forsan & hinc fugiant animalia bucera, verùm
Armentum cohibet aurea mandra pecus.

OENOMAI, In Amorem sculptum in cyatho.

Sculptus Amor cyatho est; quorsum? non sufficit vri
Corda mero? ignem igni quid iuuat inijcere?

INCERTI AVCTORIS,

In lapidem qui citharæ ſonum edebat.

Niſæam adueniens, lapidem me aduerte canorum,
Nam turris muros ædificante priùs
Alcathoo, tunc ſaxum humeris ſuſtollit Apollo
Fundatum, Lyciam depoſuítque lyram:
Hinc ſonus ille hæſit; iacto teſtare lapillo
Ecquid iactanti ſit mihi vana fides.

PLATONIS, In balneum.

Quam Venerem priùs ardebas en aſpice, Mauors,
Quæ nunc perſpicuo ſe lauat in latice;
Aſpice dum natat, atque metum depone; patrimam
Non etenim aſpicies Pallada Tireſias.

In balneum, quod apud Smyrnam erat.

Lotæ hîc ſunt olim Charites, peplíſque puellus
Subreptis euaſit Amor, nudáſque reliquit:
Nunc metuunt exire; pudor malus alligat illas.

AGATHIÆ SCHOLASTICI,

In aliud apud Byzantium, quod Venerem habebat ſeſe lauantem.

Nunc noui, Cytherea, vnde tibi victoria parta eſt,
Palmáque, Alexandro iudice, facta tua:
Nempe hîc lauiſti, hinc vitia in Iunone patebant,
Quæ ſeſe Inachio flumine proluerat:
Balnea vicerunt: nunc ſic clamare videtur
Pallas, Non vincor Cypride, vincor aquis.

MACEDONII Conſulis,

In aliud quod apud Lycium erat.

Mollia lotorum prudens qui tempora norit,

Vndæ fidus erit ianitor ille meæ.
Nulla meis vnquam cernatur nuda lauacris
Naïs, ne Charitas videris, aut Venerem
Imprudens; nocuit semper manifesta deûm vis;
Nam quis Homereæ dicta refellat apus?

MARIANI SCHOLASTICI,

In aliud de nomine Amoris dictum.

Cyprida Amor lauit genitricem hoc fortè lauacro,
Ipse vrens pulchras lampade pulcher aquas:
Sudor at ambrosio de corpore diditus, albis
Mixtus proh quantum veris anhelat aquis!
Hinc vnda spirat roseum flammata vaporem,
Aurea adhuc tanquam se Cytherea lauet.

DEMOCHARIDIS Grammatici, In aliud.

Pallados, & Veneris, Iunonísque ista lauacra;
Talis erat, formæ præmia quæque petens:
Nec fortaßis erit formæ Paris arbiter illis,
Sed quæ perspicuo splendet imago lacu.

AGATHIÆ SCHOLASTICI,

In balnea Agamemnonia, apud Smyrnam.

Grata mea est Graijs sedes, qua fortè reperta
Nulla artis medicæ postmodò cura fuit:
Post pugnam nostris medicantes vulnera in vndis,
Eiecêre malum quod Phrygia hasta dedît:
Hinc testudinei surgunt fastigia tecti,
Hinc Agamemnonij nominis hæret honos.

In balneum, quod erat Præneti
ad sinum Astacenum.

Balnea non fuerant priùs hæc, quæ balnea nunc sunt,

Sed ſordes capiens, quiſquiliáſque locus:
Nunc celebris ſplendor, nunc illum plurima clarat
Gratia; Nicaëon patris Alexanoris
Filius antiſtes, ſapientum nobile ſidus,
Sumptibus hoc proprijs ædificauit opus.

In Victoriæ ſimulacra, TIT. XXI.

PALLADÆ,

En nos lubentes adſumus Victoriæ,
Vrbi ferentes optimæ victorias;
Iußêre amantes vrbis hîc nos pingier,
Habitum dedêre, qui decet victorias.

POMPEII, In ſtatuam Victoriæ pennis carentem Romæ, cuius pennæ fulmine crematæ fuerant.

Te fugere amißis Victoria iam nequit alis;
Hinc tua victura eſt gloria, Roma potens.

In domos, TIT. XXIII.

PAVLI SILENTIARII,

In domum excelſam, quæ Byzantij erat.

Vndique Phœbæi percuſſa ego ſideris igne,
Cerne, domus, grati tergora terna maris:
Namque Aurora ſimul croceo me lumine circum
Veſtijt, occaſus immemor ipſa ſui eſt.

AGATHIÆ SCHOLASTICI,

In domum ſuper monte exſtructam Byzantij.

Sudorem poſuêre Dij virtute priorem,
Aſcræus referens annuit hancce domum.

Nam pede deposito scalæ fastigia vincens
Per madidos crines vndique sudor ijt:
In summo speculam vidi, quæ tendit in æquor:
Forsitan hîc Virtus ardua nidificat.

IVLIANI Ex-præfecto, Ægyptij, In domum incustoditam, Irrisorié.

Ite aliò rapidi, petitis qui lucra, latrones;
Namque hanc paupertas seruat amica domum.

IVSTINI,
In magnum Prætorium exornatum.

Orbis Iustinus sordes purgauit, & altam
Iustitiæ cultu splendidiore domum:
Ergo ex vita hominum, Themidísque ex ædibus, atra
Nox, Domnine, tuo pulsa labore manet.

In ædes Agathiæ scholastici apud Byzantium.

Musonî me tanta domum portenta labores
Struxêre, Arctois flatibus oppositam:
Nec minus obscuras Parcarum nunc colit ædes,
Méque suam linquens infera regna subit,
Exiguóque iacet nunc puluere; at illud abundans
Delicium externis nunc patet hospitibus.

In saltatrices, TIT. XXV.

AGATHIÆ SCHOLASTICI,
In saltatricis effigiem.

Helladie dicor Byzantia, partéque visor
Qua choreas populus ducere vere solet,

Quâque fretum dirimit terram; namque ambitus iste
Laudauit saltus semper vterque meos.

ANTIPATRI, In columnam Pyladæ saltatoris.

Cùm Pylades Thebis educeret histrio Bacchas,
Ornaret scenæ quò decus Ausoniæ,
Induit ipse deum bacchantem: ò amabilis horror,
Vrbem implet saliens cùm titubante deo:
Igne satum norunt Thebæ; cælestis at iste est,
Vocales mimæ quem peperêre manus.

In fontes, TIT. XXVI.

INCERTI AVCTORIS.

Me fontem Oceanus genuit Tethysque Nycheam,
Hoc me Teleboæ nomen habere volunt:
Balnea Nymphæ à me accipiunt, hominésq; salutem;
Me posuit Pterelas natus Enyalij.

In poëtas, TIT. XXVII.

INCERTI AVCTORIS, In Homerum.

Ex qua nos natum patria dicemus Homerum,
Quem ciuem cupiunt oppida multa suum?
Forsan & hæc ignota, diisque simillimus heros
Accipit à Musis & genus, & patriam.

In eundem.

Nec Smyrnæ tellus diuinum eduxit Homerum,
Nec Colophon, oculus fertilis Ioniæ;
Non Chius, Ægyptúsve ferax, sacratáve Cyprus,
Aut dura astuti patria Lartiadæ:
Non Argos Danai, non Cyclopea Mycene,

Non vrbs antiquis condita Cecropijs:
Haud etenim hunc tellus genuit, sed ab æthere Musæ
Misêre, vt terris dona beata daret.

In eundem.

Ten' Chios genuit? non credo: an Smyrna? nec illa:
An Cumæ, an Colophon patria, Homere, tua est?
Neutra mihi patria: an Salamis? nec sũ ortus ab illâ:
Ergo age dic ortûs quæ sit origo tui:
Non equidem dicam: quare? quia vera locutus,
Infensus reliquis vrbibus vnus ero.

In eundem.

Si deus est, velut æternus celebretur Homerus:
Quod si non deus est, meritò deus esse putetur.

In eundem.

Ecquis Homereæ vocis, vel carminis expers?
Quæ tellus, quod & æquor Achaïca nesciat arma?
Ipsi Cimmerij Troiam de nomine norunt,
Luminis expertes Phœbæi; nouit & Atlas,
Qui latis humeris gerit alti pondera cœli.

ANTIPATRI, In Pindari effigiem.

Inuleas quantùm superat tuba voce cicutas,
Tantùm supra omnes te tua Musa tulit;
Nec tua nequicquam percurrens, Pindare, labra
Flauarum examen melle rigauit apum:
Testis qui cecinit tua carmina, Mænalius Pan,
Quique olim Nomios dedidicit calamos.

EVGENIS, In Anacreontem.

Tu, dulcem alumnum dulcium Cupidinum
Anacreonta, Bacche, cygnum Teium

Hument fallis nectaris libidine:
Toruùm tuentes namque ocelli, & pallij
Incerta limbus ambiens vestigia,
Et absque calceo pes alter, vuidi
Aperta signa sunt viri: Tamen suos
Iocosa amores barbitos semper canit:
Defende casùm, Bacche, tam bono seni.

ZENOBII GRAMMATICI,

In effigiem Grammatici.

Grammaticam optaret quum pictor pingere, picto
Victore, expleuit sic sua vota satis.

In Oppianum.

Oppianus libro complexus secla natantum,
Damnosos iuuenes fercula mille docet.

In vrbes, TIT. XXVIII.

INCERTI AVCTORIS,

In Pharum Alexandriæ.

Turris sum nautis errantibus auxiliatrix,
Neptuni accensum ostendens lætabile lumen;
Sed me stridentis casuram turbine venti
Erexit reparans Ammonî maxima cura,
Qui pater est Regis, cui, post sæua æquora, tendit
Orantes, tanquam Neptuno, nauita palmas.

AGATHIÆ SCHOLASTICI,

In Soteria quæ apud Smyrnam erant.

Delicium omne hominum, atque sibi pretiosa supellex
Cernitur hîc, horum gratia prisca perit.
Phasiacæ magnis volucres cum piscibus, & quæ

Pila terit, tum tot damna superba dapum,
Hîc fiunt fimus, & spernens tandem egerit aluus,
Quæcunque esuriens hauserat antè gula:
Tandem intelligitur quanta est dementia, tanto
Empta auro spurci pulueris illuuies.

EIVSDEM, In idem.

Quid miseros fundis questus, capitísque dolorem
Mœres, & prorsus membra grauata gemis?
Quid nimiùm tentæ salapittas oggeris aluo,
Dum speras operam comminuisse gulæ?
Nil tibi opus tantos sic exercere labores,
Si non præter opus cœnula sumpta fuit:
Sed mensæ accumbens altum sapis, atque dapem ori
Gratificas, ista est vita beata tibi:
Hîc tete crucias, quia culpas gutturis aluus,
Verberibus manuum sæpe subacta, luit.

EIVSDEM, In idem.

Felices animi agricolas, quîs viuere, ferre est
Paupertatis onus, atque ligonis opus:
Frugalis vos cœna iuuat, vos somnus in herba
Multus, & ingrandi gutture potus aquæ;
Membra valent sed vestra, parúmque hac parte reclines
Vestram mox aluum cogitis esse leuem;
Sponte onere egesto, femoris nec punctio tentat,
Nec vos vertebræ tortio lenta sacræ.
O miseri dites, & amici diuitis auri,
Et quos plus sanis prandia lauta iuuant.

ANTIPATRI.

Quis ferus exstruxit tecta hæc ingentia Cocles,

Molem, atque Aſſyriæ ſaxa Semiramidis?
Aut qui terrigenæ montem erexêre Gigantes,
Cælipetas ſeptem tam prope Pleïadas?
Qualis celſus Athos, firma eſt, immotáque moles,
Concretum terræ latipatentis onus.

MACEDONII.

Excelſo ſub Tmolo, Hermi vicina fluentis,
Sardis Lydorum vrbs nobilis illa vocor,
Conſcia prima Iouis, teſtiſque, haud prodere noſtræ
Furtiuam volui progeniem Cybeles.
Ipſa etiam Bacchum eduxi, quem primitus ortum
Vidi cum vaſto fulminis igne deum.
Ordinibus primùm fluxit vindemia noſtris,
Flauáque ab vberibus gutta racemiferis:
Omnia me ornarunt, & multos ſæpe per annos
Vrbibus egregijs inuidioſa fui.

In fluuios, TIT. XXIX.

TVLLII GEMINI, In Strymonem.

Annumeror fluuijs; ſed fluctu aſſurgo marino,
Emathij Strymon dulce ſoli pelagus:
Subter aquas aruum cum gurgite, nam datur à me,
Munere qui Cereris dulcior eſt, tribulus:
Sunt fœcunda etiã Emathiæ vada: præſtat apud nos
Non qui alit, at qui fert, Nile, bonas ſegetes.

AGATHIÆ SCHOLASTICI,
In pontem Sangarij.

Et tibi poſt altam Heſperiam, gentéſque ſubactas
Medorum, atque omnes barbaricas acies,

Sangarie, adstrictis ad durum fluctibus arcum,
Seruitij imposuit induperator onus;
Indomitus nuper, ratibúsque imperuius vncis,
Pontus habens firmi saxea vincla, iaces.

In suburbia, Tit. xxx.

MARIANI SCHOLASTICI,

In suburbium de nomine Amoris dictum, apud Amaseam.

Paulùm age in vmbrosum nemus huc succede, viator,
Hîc defessa vago membra labore leua:
Quà præbet platanis sedem locus, in mediúmque
Sponte ex diuersis affluit vnda tubis,
Purpureo ínque solo veris sub tempore florent
Humentes violæ, consociántque rosas:
Aspice vt hi flores incingant roscida prata,
Vtque edera effusam nectat amica comam:
Hîc præter fluuius frondosam labitur actam,
Siluæ oram radens fertilis indigenæ.
Hic locus audit Amor, nec sedes dignius isto,
Quæ tot habet Charites, nomen habere potest.

In rhetorum, seu oratorum effigies, Tit. xxxi.

ARABII SCHOLASTICI.

Effigiem Longino ex auro vrbs nostra dedisset,
Aurum ni fugeret inclyta Iustitia.

THOMÆ SCHOLASTICI.

Diligo Rhetorices tria lumina, scilicet omnes

Longè alios ſuperat Rhetoras iſta trias;
Diligo ſcripta tua, ô Demoſthenes, & tua ſcripta
Diligo, Ariſtides, & tua, Thucydides.

In vaſa, ſiue vtenſilia, TIT. XXXII.

INC. AVCTORIS, In conopeum.

Omnibus hoc propriũ eſt laqueis; prolémq; volãtum
Claudere, & illuſas nexibus intus aues:
At mea non capere eſt, ſed ſola arcere voluptas,
Nec volucres vllas ars tegit, imò fugat:
Méque culex, licet exiguus, non fallere poſſit
Ingreſſus noſtræ retia rara plagæ:
Sic auium vitas, hominúmque cubilia ſeruo;
Ecquis iam nobis iuſtior eſſe poteſt?

PAVLI SILENTIARII, In tabulam luſoriam.

Quiſquis es, hîc aſtans læui ſuper hacce tabella
Excuſſos iaciens, ludicra bella, bolos,
Efferri vincens, iraſci deſine victus,
Et miſeros caſus deſine velle queri:
Res leuis eſt index animi prænuntia noſtri,
Arguit & pectus teſſera iacta latens.

EIVSDEM, In eandem.

Omnia ludicra ſunt; ſed ſortis lubricus axis
Fertur in hoc iactu qui ratione caret:
Humanæ fallax vitæ hinc noteſcit imago,
Seu ſuperas alios, ſeu ſuperatus eris.
Digni laude quidem, quibus alea, vitáque talis,
Vt ſit mærori, lætitiæque modus.

IVLIANI Ex-præfecto, In phialam, quæ pisces motu agitatos includebat.

Sic Thetis excepit Bacchum; sic fabula Homeri
Seram, sed veram repperit inde fidem.

ASCLEPIADÆ, In discum.

Vulcanus longo perfecit tempore, sed clam
De thalamo rapuit me Cytherea viri,
Anchisǽque dedit, furtiui pignus Amoris,
Et me Asclepiades traxit ab Æneadis.

In philosophos, TIT. XXXIII.

AGATHIÆ SCHOLASTICI, In effigiem Pythagoræ.

Pythagoram pinxit pictor, vocémque videres,
Si tantùm ora velint Pythagorea loqui.

EIVSDEM, In effigiem Plutarchi.

Effigiem hanc posuêre tibi, Plutarche Cheroneû,
Romulidæ, laudis quæ monumenta tuæ;
Nempe quòd ad Græcos proceres, vitásque Pelasgas
Collatos fortes iunxeris Ausonios:
At nequeas (nam nemo tibi se compararet alter)
Alterius vitam composuisse tuæ.

EIVSDEM, In effigiem Æsopi.

Et meritò, Lysippe senex Sicyonie fictor,
Æsopi effigiem constituis Samij
Ante Sophos septem; quorum cata dicta legentes
Cogunt, non suadent mentis inire viam:
Ast hic fabellis ex re opportuna locutus
Seria dat ludens, vt sapiásque facit:

Aspera,

Aspera, iudice me, fugias præcepta; sed huius
Fabula habet Samij dulce quid illicium.

ANTIPHILI BYZANTII,

In Diogenem.

Et pannus duplex, & aquis permixta turunda,
Et pera, & baculus firmior ante pedes,
Et vas figlinum, Cynico dignissima vita est
Philosopho: hæc tamen est visa superuacua;
Nam potum manibus cernens haurire bubulcum,
Quorsum testam, inquit, pondus inane, fero?

In horologia Tit. xxxiv.

INCERTI AVCTORIS.

Per bis sex specimen diuisum tempora muti
Solis, & elingui quod solet ore loqui,
Arctus compressam tubulus quando excipit vndam,
Et vir spirantem emittit abunde animam,
Gratis Athenæus populo donauit, vt esset
Sol etiam inuitis conspicuus nebulis.

134

EX LIBRO QVINTO ANTHOLOGIÆ DIVER-*ſorum Epigrammatum veterum.*

Hoc in libro continetur deſcriptio facta à Chriſtodoro poëta Thebano Coptita, ſtatuarum quæ erant in gymnaſio publico, quod de Zeuxippi nomine dicebatur: Ad hæc, epigrammata agitatorum, qui erant in circo Vrbis C. P.

IN DEÏPHOBVM.

Deïphobus primus tereti apparebat in ara,
Stans audax, armíſque ferox, fortiſſimus heros,
Qualis erat ſua cùm populanti & tecta ruenti
Feruidus ipſe ira Menelao occurrit Atridæ.
Progreſſo imprimis ſimilis ſtans, & latus aptè
Verſus in obliquum, contractus curua furore
Terga, acrem inſtaurans pugnam turbata rotabat
Lumina, & hoſtilem vitans vim, inimicáque tela:
Ipſe grauem læua clypeum intendebat, & enſem
Dextra attollebat, furioſo robore in hoſtem
Multa ruens: ſtrictóque dediſſet vulnera ferro,
Si tantùm æs rabido poſſet parêre furori.

In Euripidem.

Stabat & Euripi dictus de nomine, credas

Secum illum Tragicæ meditata requirere Musæ,
Pulchra pudicitiæ rimantem opera, & quatientem
Cernere erat thyrsos, vt ad Attica pulpita quondam.

In Calchantem.

Thestorides aderat Calchas, certißimus augur,
Tanquam aperire volens, quæ clausa oracla tenebat,
Scilicet aut miserans Græca agmina, vel quia forsan
Pectore adhuc tacito magnum metuebat Atridam.

In Amymonem, Danaï filiam.

Stabat Amymone roseo spectanda colore,
Ponè incompositos cohibens post terga capillos,
Fronte patens nuda, simul & sua lumina torquens
Aspicit æquoreum nigranti crine maritum.

In Neptunum.

Astabat lato nudus cum pectore numen
Cæruleum Consus, promisso crine decorus,
Ostentans vdum sponsæ delphina, ferénsque
Dona manu, affectæ thalamos initura puellæ.

In Venerem.

At propè Cypris erat: nitido fulgebat in ære
Formæ lætus honos; sed pectora nuda, manúque
Subtilem ad spatium tunicam feminale trahebat,
Nempe tegens, crinem tenui redimita calyptra.

In Hermaphroditum.

Stabat & Hermaphroditus amabilis, integer ille,
Nec vir, nec mulier, mixta & communis imago est;
Mercurium vt facilè agnoscas, Venerémque parentes,
Vtque tumescentes cohibet, ceu virgo, mamillas,

Masculeum ostendit cunctis genitale veretrum,
Mixta ferens formæ communis, & insita signa.

In Stesichorum.

Vidi & Stesichorum dulcem, quém Sicelis olim
Terra aluit, quem, matris adhuc dum pusus in aluo
Esset, Apollo lyræ docuit pulsare canorem:
Nam simul in lucis vitales exijt auras,
Sacra super teneris residens Philomela labellis
Effudit dulces arguto ex ore querelas.

In Democritum.

Abderitarum decus, ô Democrite, salue,
Qui cæpisti animo Naturæ iura parentis,
Tenuia multisciæ discernens orgia Musæ,
Fallax semper iter vitæ ridere coactus,
Non ignarus vti, vetus omnia præterit æuum.

In Andromacham.

Forma etiam Andromache spectabilis Eetione
Stabat, nec gemitus imo de pectore ducens;
Fortaßis quòd nec bello fortißimus Hector
Occubuisset adhuc, nec Troiæ funditus vrbem,
Totáque vastarant clypeati Pergama Achiui.

In Polyxenam.

Fare, ter infelix ô virgo Polyxena, quid te
Clam muto lacrymas effundere cogit in ære?
Cur demissa tuos etiam tegit infula vultus,
Stásque verecundæ similis, sed corde dolorem
Mœsta geris? captáne tua Phthioticus vrbe
Captiuam te Pyrrhus habet, nec profuit hilum
Forma tibi, Pyrrhi figens in pectore vulnus,

Quæ prædata tui patrem occiſoris, in ipſa
Vltro inſperatæ coniecit retia mortis?
Per ſpirans ſimulacrum iſtud, ſi cernere talem
Quiuiſſet Pyrrhus, forſan pro coniuge ducens
Liquiſſet ſubitò mortis monimenta paternæ.

In Daretem.

Mox arente Dares cingebat brachia loro,
Apparet pugnæ ira ferox prænuntia, torua
Lumina, feruentis multum feritatis anhelant.

In Entellum.

At furit aſpiciens aduerſa fronte Daretem
Entellus, palmáſque toroſis cæſtibus ambit,
Ore minans pugnam, & ſpirans cum puluere cædem.

In Amphiaraum.

Splendentem lauro crinem Amphiaraus habebat
Suſpirans, tacita concuſſus pectora cura,
Prædicens ſtructas olim teſtudine Thebas
Caſuras Marte Argiuo, id portendere fata.

In Achillem.

Hinc inueſtis erat dîus bellator Achilles;
Arma tamen nudus; licet enſem dextra rotare,
Et clypei pondus ſuſtollere læua videtur
Artis ope: apparet pugnas & bella minari
Audaci virtute ferox, qui lumine prodit
Legitimos mores, non degener Æacidarum.

In Apuleium magum.

Et cata perſpiciens ſacra non vulgata Latinæ
Muſæ, ſuſpexit coluítque Apuleïus, illum
Myſtam aluit Sophiæ arcanæ iure Itala Siren.

In Heraclitum.

Hic Heraclitus sapiens diuinus erat vir,
Ille Ephesi antiquæ sanctißima gloria, solus
Humani fleuit generis qui tristia facta.

In Pindarum.

Pindarus astabat, veteres cui patria Thebæ,
Ille alter iucundus olor, quémque aureus olim
Nutribat Phœbus Bœoti Heliconis ad antrum,
Et dulces docuit numeros; cui primitus orto,
Os infantis apes simul insidêre tenellum;
Mella ibi fingentes, cantûs præsaga futuri.

In Virgilium.

Hic quoque dulcis olor, Romanæ gloria gentis,
Virgilius, fandi ille potens apparet, alumnus
Tybridis, atque suæ patriæ iure alter Homerus.

Ex Epigrammatibus in athletarum columnas, quæ erant in circo Vrbis C. P.

In PORPHYRIVM agitatorem.

Porphyrie, hunc iuueni tibi dat Victoria honorem,
Tempora quæ senibus vix dare sera solent:
Nam numerans tibi quot peperêre trophæa labores,
Repperit aurigas hos superare senes.
Quid plura? ipsa etiam acclamãs tua facta probauit,
Et mirata tuum est factio victa decus.
Felices Veneti, gens prorsus libera, queis te
Rex magnus tantum munus habere dedit.

In eundem.

Ipsum Porphyrium plastes expreßit in ære

Affabre, & fermè vitam animúmque dedit:
Sed quî fingetur nunquam victoria mutans,
Gratia certatrix, mixtus & arte labor?

In eundem.

Ecquis es, ô iuuenis pictus lanugine mentum?
Hospes, Porphyrius: quæ patria est? Libya:
Quis decus hoc tribuit? studiũ Rex propter equestre:
Quis testis? Venetûm factio testis erit:
Lysippum talis meruit victoria testem,
Porphyrie; hanc plastes vnicus ille decet.

In eundem.

O si non istas vestes, tantùm arma tulisses
Vt belli esses dux, ille agitator equûm:
Namque tyrannum hostem peteret cùm Regius ensis,
Classica iuuisti tu quoque bella sciens:
Vnde tibi, ô sapiens, duplex victoria cedit,
Illa curulis erit, ista tyranniprema.

In eundem.

Aurigam egregium verè hoc expreßit in ære:
O si artem, & formam plasta quoque exprimeret!
Quas, cùm fera olim pareret Natura, Secundo
Non sum, inquit iurans, apta puerperio:
Iurauit, nec inane quidem; nam indulserat vni
Porphyrio, & primo, Gratia quicquid habet.

AGATHIÆ SCHOLASTICI,

In eundem,

Anchisæ Cytherea, atque Endymionis amica
(Si vera antiqua est fabula) Luna fuit:

Fabula dicetur noua nunc, Victoria forsan
Quòd currus, quòd amet lumina Porphyrij.

In Faustinum.

Te iuuenem, Faustine, senum mens antè premebat,
Núncque senem robur te iuuenile premit:
Posteriora, priora tuus labor inuenit, ornans
Te in senibus iuuenem, puberibúsque senem.

In Constantinum.

Ortûs, occasûs, Austri, septémque trionum
Peruenit fines cursus adusque tuus,
Inclyte Constantine; at tu non mortuus ergo es:
Non nocet inuictis mors violenta viris.

In eundem.

Hoc tibi, Constantine, dedit Victoria nutrix,
A puero quæ te est vsque secuta senem:
Nãque decem in stadijs cũ quinque peregeris annos,
Vicisti semper dexteritate pari:
Nempe viros inuestis adhuc vicisti, & ephebus
Æquales, iuuenum victor & ipse senex.

In eundem.

Surge age, Constantine, an somnus ferreus vrget?
En poscit currus omnis arena tuos:
Aurigæque tuæ nunc dexteritatis egentes,
Ecce, velut proles orba parente, sedent.

In Porphyrium.

Qui vicit omnes in solo aurigas priùs,
Sublatus en nunc currere ad cælum cupit,
Venetæ cohortis mira laus Porphyrius,

Terráque victis ille quadrigarijs
Cunctis, ad astra prouocans Solem volat.

In Iulianum.

Hic Iulianus Rußios currus agens,
Cursu relinquens vicit aduersarios:
Si pictor indulsisset illi spiritum,
Paratus esset mox habenas flectere,
Primúsque metam euadere, & palmam frui.

31

EX LIBRO SEXTO ANTHOLOGIÆ DIVERSORUM Epigrammatum veterum.

In simulacrorum donaria, Tit. I.

In simulacrum Solis apud Rhodios.

In cælum tibi, Sol, hunc erexêre colossum
Ex solido ciues Doridos ære Rhodi,
Sopita patriam cùm tempestate Gradiui,
Cinxêre ereptis hostibus exuuijs:
Nam libertatem terris, nec in æquore tantùm,
Et lucem posito restituêre iugo:
Scilicet Herculea ductis à stirpe, paternum
Iure datum terræ est, & maris imperium.

ANTIPATRI.

Phemonoe pallam hanc, soleásque Menecratis illas
Induta est, Prexo est ista tenens pateram;
Delubrũ hoc Paphiæ est, donum hoc cõmune dicarũt
Illæ, Strymonius fecit Aristomachus,
Olim omnes ciues consuetæ; at Cyprida nactæ
Tam facilem, nunc tres vnius vna manent.

In donaria ab athletis data, Tit. II.

PHILODEMI.

Naris amica lupata, & quæ calcaria cogunt
Præcipitare viam, dentiferúmque feri
Pectoris ornamen, scuticámque ad limina, Charmus,

Conſe, dicat ludis victor ab Iſthmiacis,
Et ſtrigilem quæ purgat equos, humeríſque flagella
Pendula, ſtridentis verbere nota ſoni;
Cærulee ô Neptune, cape hæc, natúmque Lycini,
Victorem in magnis effer Olympiacis.

A piſcatoribus, TIT. III.

IVLIANI Ex-præfecto, Ægyptij.

Rete dat hoc nymphis Cinyras, cui pigra ſenecta
Eiaculatricis eierat artis opus.
Viuite iam læti piſces, Cinyrea ſenectus
Libertate frui iam vada ſalſa iubet.

MÆCII.

En tibi littoreæ, gaudens ô littore, prædæ
Hæc piſcatores dona, Priape, ferunt,
Thynnos, immerſo tortis ex funibus orbe
Cùm clauſere aditus Oceaníque vias,
Fagineum & cratera, & ericæ ſponte dolatum
Truncum, cum vitri vinifero calice;
Vt, cùm ſaltando veſtigia feſſa fouebis,
Siccam habeas poſſis vnde leuare ſitim.

PHILIPPI.

Plumbo retia iuncta, maris ſubeuntia fundum,
Et remum pulſi qui madet imbre ſali,
Cetorúmque necem, telum æquoris acre tridentem,
Et maſſam ſemper quæ leue ſuber habet,
Quæ'que carinarũ firma eſt manus anchora, & ignis
Semina quæ ſeruat cæca, marina ſilex,
O pelagi regnator, Amyntichus vltima dona
Æquoris eiurans munia, Conſe, dicat.

Carmina in se recurrentia, seu reciproca, TIT. IV.

ΝΙΚΟΔΗΜΟΥ Ἡρακλεώτου.

Πηνελόπη, τόδε σοι φᾶρος, καὶ χλαῖναν Ὀδυσσεὺς
Ἤνεγκεν, δολιχὴν ἐξανύσας ἀτραπόν.

NICODEMI Heracleotæ.

Penelope, tibi vir vestes aduexit Vlysses,
Permensus tractus vt fuit æquoreos.

Τοῦ αὐτοῦ.

Ἀερόπης δάκρυον ἱερῆς, ἢ λείψανα δείπνων
Δύσνομα, καὶ ποινὴν ἔγραφεν Ὠφελίων.

EIVSDEM.

Aëropes lacrymam, tum pœnam, tum impia cœnæ
Fercula descripsit hîc bonus Ophelion.

Τοῦ αὐτοῦ.

Ἀσκανίη μέγα χαῖρε καλή, καὶ χρύσεα Βάκχου
Ὄργια, καὶ μύσται πρόκριτοι Εὐΐῳ.

EIVSDEM.

Ascanie sit salua, ô saluete aurea Bacchi
Orgia, & euantis plebs sacra thyrsigeri.

Τοῦ αὐτοῦ.

Οἰδιπόδης κάσις ἦν τεκέων, καὶ μητέρι πόσις
Γίγνετο, καὶ παλάμης ἦν τυφλὸς ἐκ σφετέρης.

EIVSDEM.

Oedipodes soboli est frater, vir matri Iocastæ,
Patrante est dextra nox data luminibus.

A bacchantibus, Tit. v.

MACEDONII Consulis.

Vincto edera Bromio turbatum pectora vino
Vitisator Satyrum Lenagoras posuit,
Dum sopor in capite est, ederæ, coma, pellis, & vuæ
Sic resoluta iacent, ebria vt illa putes:
Naturam in mutis ars est imitata tabellis,
Materia assensum non renuente suum.

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

Bassaris Eurynome per rupes sæpe vagata,
Ramosos late sueta ferire boues,
Quæ spolijs cæsi fueram gauisa leonis,
En caput indomitæ; ceu ioculare, feræ,
Bacche, ferens, ignosce, tuas iam sperno choreas,
Et Veneris potius capta furore feror:
Missa edera, tibi nunc thyrsorum hostoria pono,
Auro vt nectantur deliciante manus.

EIVSDEM.

Porphyris en Cnidia hæc talaria, & apta coronis
Vellera, tum thyrsi spicula bina grauis,
Queis bacchabatur passim ad Dionyson itura,
Nexa ederis, cinctum nebride pectus habens,
Mollicome ô Liber, thalami suspendit ad antas,
Qui formæ ornatus, quique furoris erat.

A senibus, Tit. vi.

ISIDORI SCHOLASTICI.

Frustrà exspectantes thalamos, vaníque cubilis
Tegmen, Luna, tibi dat tuus Endymion:

Namque pudet, pudet heu primæ vestigia formæ
Iam sibi per canam nulla relicta comam.

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

Anchises, Cytherea, tuus, cuius tuus ergô
Pes quondam Idæum sæpe cucurrit iter;
Cui raro detonsa nigrescunt tempora crine,
Puberis ætatis dat tibi relliquias:
At mihi, Diua, (potes nam) iterũ renouato iuuentam:
Aut tanquam iuueni, perge fauere seni.

Ab agricolis, TIT. VII.

PHILIPPI.

Hunc tibi de paruo Sosicles rure maniplum
Donauit cultor, frugis amica Ceres,
Spiciferam postquam segetem demessuit; at pòst,
Atterat vt falcem messis opima, iube.

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

Æs quod arat, glebas frangens, scindénsque nouales,
Quæ'que boum pellis fortia colla iugat,
Pungentémque boues stimulum, stiuæ'que pedamen
Calligenes Cereri dedicat agricola,
Sectis colliculi cultus: quòd si mihi messem
Adiûris, falcem tunc tibi, diua, feram.

LEONIDÆ.

Mulsibibis Satyris, & Baccho vitisatori
Ex primo primas palmite primitias,
Heronax triplici desumpta è vite sacrauit
Plena recèns fuso dolia terna mero:

Hinc nos ſanguineo libantes pocula Baccho,
Et Satyris, *ipſis plus bibimus* Satyris.

INCERTI AVCTORIS.

Cùm tergo geſtantem acinos Comaulus *echinum*
Cerneret, occidit protinus hocce ſolo,
Ritéque ſiccatum læto ſacrauit Iaccho,
Munera qui Bacchi *depopulatus erat.*

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

Fortè tuens leporem, prope Bacchica *culta ſedentem,*
Liuentes vuas carpere dapſiliùs,
Oſtendi agricolæ; videt ille, & verbere ſaxi
Mox caput inuiſus decutit, & cerebrum,
Victórque inquit ouans, Iam nunc fortaßis Iaccho
Mixta nouo muſto victima ſacra cadit.

EIVSDEM.

Pro meritis, Pan *montane, hæc* Stratonicus *arator*
Succiſiua tibi, nec ſata fana dicat;
Paſce tuum gaudens inquit pecus, iſtáque terræ
Nullo ſciſſa vide vomeris ære ſola;
Felix inuenies ſtabulum: connubia namque
Delectata Echo *mox tibi perficiet.*

SABINI.

Pani capram, Nymphíſque *roſas, thyrsóſque* Lyæo
Sub folijs poſuit, munera terna, Biton:
Accipite hæc faciles, ô dij; ſupplete perennes,
Vos Nymphæ, *fontes,* Pan *gregem,* Iacche *merum.*

CORNELII LONGINI.

Pauperie ex certa (nam ſcis) iuſta tamen, iſta
Sume, Venus, *facilis dona* Leonidia,
Purpureum vuarum faſcem, & modico ſale oliuam

Sparsam, quæ'que solent annua liba dari,
Et non calcati sacrata liquamina vini,
Et dulces ficus; Tu modò pauperiem
Euelle vt morbum: tibi tunc cadet hostia taurus;
Sed propera grati signa videre animi.

ADDÆI MACEDONIS.

Attritum sulcis, operatum & multa iuuencum
Non laniena senem sanguinolenta necat:
Quippe operum dominus respectum habet; ille labore
Functus mugitor pascua lætus habet.

A mulieribus, TIT. VIII.

PLATONIS, In Laïdem.

Quæ iuuenum examen pro limine Laïs habebam,
Græcia quo fastu ludificata fuit,
Hoc Veneri speculum, quando iam nolo videre
Qualis sum; quando, qualis eram, nequeo.

LVCIANI, In eandem.

Hellada scutigeræ victricem Persidos olim
Edomuit forma Laïs amata sua;
Solo deuicta est senio, nunc spectra iuuentæ
Conscia, dona tibi, diua Erycina, dicat:
Nam cuius cani speciem est exosa capilli,
Odit adumbratam non minùs effigiem.

INCERTI AVCTORIS.

Quæ tot abundantes auro iactabat amantes,
Quæ Nemesim diuam non venerata grauem est;
Nunc precio vili lanarum stamina nectit:
Tandem prædam habuit casta Minerua Cyprin.

AGA-

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

Palladi cæsariem, Veneri serta atque corollas,
Artemidi Zonam Callirhoë posuit;
Repperit optatum sponsum, pubémque pudicam,
Et peperit geminos, pignora chara, mares.

PALLADÆ.

O felix acies, ô sacra nouacula, tondet
Pamphila qua nexas hîc positura comas;
Non te mortalis fabricauit, at ipsa camino
Volcani, tudites sustulit aureolos
Volcani consors, rica redimita nitenti,
Et manibus proprijs est operata Charis.

ANTIPATRI SIDONII.

Tres ætate pares, & tenuia stamina doctæ
Condere Arachnea non procul arte, dicant
Palladi virgatum calathum Demo, Arsinoéque
Formantem scitè mollia fila colum,
Bacchylis at radium, qui operum est argutus aëdon,
Quo discernebat lanea pensa duce:
Nã quæque opprobrij expertẽ, & sine crimine vitam
Instituit, victum suppeditante manu.

In donaria amatoriorum, TIT. IX.

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

Daphneis nonum ex Agathi me nosce libellis;
Sed tibi qui fecit me, Citherea, dedit:
Nec tam sum Musis, quantùm dilectus Amori,
Qui fero tantillus sacra Cupidinibus,
Próque labore à te petit, vt ne posit amare;
Aut, quam pro voto flectere posit, amet.

EIVSDEM.

Pan noster thyasis pro Cypride, Liber, omissis,
Nebridas, & thyrsi tela dat acta tibi;
Errat amans Echo: nunc huic communiter artem
Tecum exercenti, Bacche, fauere decet.

In donaria votorum, TIT. X.

ANTIPATRI.

Lampada Saturni cerata veste lucernam,
Stringere quam tenui fune papyrus amat,
Pisoni Antipater dat munus; sin facit ille
Me lucem accensa, lux fruitura deo est.

In donaria ferarum, TIT. XI.

GÆTÆ.

Annexum vt vidit puero pater Alco draconem,
Lunauit trepida cornua lenta manu,
Nec ferâ aberrauit: nam dira per ora sagitta
Irruit, infantis non procul à capite.
Post cædem, quercu suspendit ab hacce pharetram,
Certæ & felicis signa futura manus.

Carmina ἰσόψηφα, i. quorum literæ parem numerum efficiunt, TIT. XII.

LEONIDÆ ALEXANDRINI.

Hoc mea natali carmen tibi tempore, Cæsar,
Nascenti Nilo conscia Musa litat;
Calliopes nam sacra vacant fumo: sed in annum
Te, maiora tibi sacra, volente dabit.

EIVSDEM.

Hic dabit argentum, cryſtallum iſte, ille topazos,
Alter opum mittet dona genethliaca;
At nos, Agrippina, (vides?) duo diſticha tantùm:
Sat mihi; dona mala libera ab inuidia.

Ab hortulanis, TIT. XIV.

INCERTI AVCTORIS.

Alcimenes dominus pauper, qui pauperis horti
Æſtatis libans commoda fructiferæ,
Et ficum, & malum, & laticem tibi dona fero, Pan,
Hæc noſtræ vitæ qui bona concilias;
Hæc mihi parua ſilex, noſter tulit hortulus illa:
Accipe, & acceptis plura repone bona.

A venatoribus, TIT. XV.

IVLIANI Ex præfecto, Ægyptij, In tres fratres.

Venatu è triplici, Pan, accipe retia fratrum
Terna trium: Pigres hæc tibi ab alitibus,
E que feris Damis, pelagíque ex æquore Clitor;
Fac prædam vt referant, aëre, rure, mari.

ARCHIÆ, In eoſdem.

Iſta ex aërijs, terreſtribus, atque marinis
Tres fratres artis, Pan, tibi ſigna dicant;
Nempe ex cæruleis hæc Clitor retia, Pigres
Ex auibus, Damis retia quadrupedum:
Tu tribus his faueas, Pan ô venatice, vt antè,
Terreſtri, aëria, cæruleáque plaga.

ALEXANDRI, In eoſdem.

Retia iacta auibus Pigres, Clitórque marinis,
Damis monticolis retia tenſa feris,
Venatûs tibi terna dicant, Pan, munera fratres
Hæc cælum, illa ſolum, hæc depopulata ſalum;
Iſta pro pietate repone hæc præmia, dîue,
Polleat hic cælo, hic ſaltibus, ille mari.

SOZIMI THASII, In eoſdem.

Hoc graue rete feris Damis ſilueſtribus aptum,
Pigres alitibus noxia tendicula,
At Clitor filo ſutam rarámque ſagenam,
Qua piſces cæpit, Pan, poſuere tibi.
Hinc facilè captare feras fac Damida ſiluis,
Pigretem volucres, Clitoráque æquoreas.

ZONÆ.

Silueſtrem ad platanum, pellem hăc, ſiluane tibi Pan,
Appendit Teleſon perditor ille lupi,
Atque pedum agreſti ex olea, quam ſæpius ille
Longè ſtridentem miſerat alta petens:
At tu monticola hæc cape Pan, non maxima dona,
Fac cadat ex iſto ſæpe ferina iugo.

ANTIPATRI.

Qui celſo Orbeli mugibat vertice taurus,
Bellua vaſtatrix antè Macedoniæ,
Dardana peſtis, eum cæpit vis dîa Philippi,
Venanti feriens cuſpide bregma feræ;
Hæcque tibi, Alcide, taurino non ſine tergo,
Immenſi fulcrum cornua dat capitis:

Nempe Philippei tu sanguinis auctor, at illi
Non in cæde boum est turpe referre patrem.

INCERTI AVCTORIS.

Fidite Cynthiades: etenim Cretensis Echemmæ
Arcum apud Artemidem nunc habet Ortygia,
Quo latum montem vobis viduabat; at ille
Nunc cessat, capræ, fœdera dante dea.

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

Venatu è duplici tibi, dîue ô capripes, hircum
Ad speculam duxit quæ prope littus habet:
Nam tibi latratúsque canum, & venabula ferro
Lata placent triplici, tum, cita præda, lepus,
Retiáque explicita in fluctus, & linea mordax,
Atque laboranti iacta sagena manu,
Suspendens donum Cleonicus, sæpe marinæ
Prædæ inhians, timidum sæpe petens leporem.

A citharœdis, TIT. XVI.

PAVLI SILENTIARII.

Eunomus hanc Phœbo Locrensis in ære cicadam,
Victricis palmæ ceu monumenta, dicat:
De cithara certamen erat cum Spartide magnum;
Ast vbi Locrensis barbitos insonuit,
Rauca crepans fracta est, & sedem chorda reliquit:
Sed nondum rectam fregerat harmoniam,
Cùm lene in cithara modulata cicada resedit,
Amissæ subiens murmura docta fidis;
Carmina sic siluis agreste sonantia, leges
Ad citharæ, & nostros versa fuêre modos.

Eunomus inde tua decorat te, Phœbe, cicada,
Quæ doctæ superest ænea sede lyræ.

LEONIDÆ.

Non solum ardenti æstiuans sub Sole, sedénsque
Argutor celsis carmen in arboribus,
Gratuitus cantor, quo gaudet vate viator,
Fœminei roris quem iuuat esse cibum:
Verùm etiam inuenior galeatæ Palladis hastam
(Ecce vides, hospes) fulua cicada tenens.
Nam nos sicut amant Musæ, sic Pallada amamus:
Virginis inuentum est tibia namque deæ.

A coquis, TIT. XVII.

PHILIPPI.

Cultros secantes belluarum guttura,
Ignísque alumna flabra follicantia,
Colúmque multiforum, atque quadrupedem breuem,
Cratem capacem carnium, pontem igneum,
Pinguésque spumas cochlear recolligens,
Digitísque longam ferreis harpaginem,
Volcane, tardus crura Timasion, tibi
Deartuatis dedicauit viribus.

A temulentis, TIT. XVIII.

ERASTOSTHENIS.

Dolia vinosus Xenophon dat inania Baccho:
Accipito placidè; nil habet ille aliud.

A naufragis, TIT. XXI.

LVCILLII.

Quattuor ex denis nautis Dionysius vnus

Seruatus, dedit hîc ramicis effigiem:
Nam femori annectens super ille enanit vtrique:
Sic multos felix hernia sæpe iuuat.

A iuuenibus, TIT. XXII.

CRINAGORÆ.

Hesperio à bello spolijs Marcellus onustus,
Ad fines pulchræ dum rèdit Italiæ,
Primùm ora attondit flauentia, sicque recepit,
Quem misit puerum patria Roma, virum.

A pastoribus, TIT. XXIV.

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

Hirtipedi hirsutum, atque bifurco Pani bicornem,
Siluicolam vmbripetæ, saltiuagum salio,
Gaudenti speculam, pro monte comante Charicles
Album & barbatum consecrat huncce caprum.

IOANNIS poëtæ Barbocalli.

Et Suadæ, & Veneri calamos, & dulcia mella
Formosæ sponsus dedicat Eurynomes,
Armenti Hermophilas custos: vos, quæso, cicutam
Pro Nympha, pro me mellis habete fauum.

A militibus, TIT. XXV.

ANTIPATRI SIDONII.

Hanc olim Martis fortem, Pacisque sequestram,
Terribiles dantem voce fremente sonos,
Factam ex ære tubam Pherenicus grata Mineruæ,
Post belli & scenæ munia, dona dedit.

PAVLI SILENTIARII.

Taurinum clypeum seruantem corpus, & ensem,
Hostica qui fodiens ilia sæpe bibit,
Et tunicam aduerso prohibentem à pectore tela,
Et setâ horribilem caßida fortis equi,
Lysimachus Marti munus dicat; atque senilem
Nunc baculum pro armis omnibus arripuit.

EIVSDEM.

Fragmentum hocce Ioui clypei, quem fortiter olim
Læua habuit pugnans, Nicagoras posuit:
Quódque superfuerat gladij minuêre sagittæ,
Saxáque, quæ diræ grandinis instar erant:
Quamuis sit lacerũ & cæsum vndique, rettulit ipsum
Nicagoras saluum, saluus & ipse fuit.
Seruatam belli legem, quam Sparta seuera
Iußit, in hoc clypeo quilibet aspiciet.

EVTOLMII Illustris.

Hastam, ocreas, clypeum, galeam, thoraca Mineruæ
Rufus Membiades Gellius hîc posuit.

ANTIPHILI.

Hasta es Alexandri; nempe illum littera dicit
Artemidi ex bello te posuisse deæ,
Signa atque arma manûs inuictæ; ô nobilis hasta,
Terra, æquor ceßit, dum quaterere, tibi:
Ignosce hasta, frequens metuet quicunque videbit
Te, magnæ nec erit immemor ille manûs.

PHILIPPI.

Ærea rostra, citas quondam arma secuta carinas,
Actiaci belli nos monumenta sumus;

Vndique stridenti quæ nunc examine replent,
Vt fingant ceras donáque mellis, apes:
Hoc meritum est ingens, ea gratia Cæsaris, arma
Qui pacis fructus hostica ferre docet.

ANTIPATRI.

Duplex est galeæ mihi gratia, semper amicis
Grata meis, semper hostibus horror ero;
Aque Pylæmene sum Pisonis: nempe decebat (hæc.
Sola coma hæc galeam hăc, sola comam hăc galea

A notarijs, TIT. XXVI.

Incuruum plumbum, quo linea nigra notatur,
Et duris aspram coticulam calamis,
Et mediè scissas acuens ferrum vtile cannas,
Normam, qua rectum linea currit iter,
Quódque atramentum scalptis veterascit in antris,
Et nigricans summo crena duplex calamo
Mercurio posuit Philodemus; quando senectus
Ingruit, & nubes lumina tarda premit.

INCERTI AVCTORIS.

Non madidum recto peragit quod tramite versum,
Plumbum, omnis quo stat littera iuncta pede,
Quæque regit teres atque rotundũ regula plumbum,
Et spongosa silex plena foraminibus,
Quódque atramentum vas suscipit, & calamorum
Ore tenus summo tenuia tincta labra,
Spongiáque orta mari, quæ pratum est fusilis vndæ,
Et ferrum graciles exacuens calamos,
Sunt quæ Callimenes Musis ridentibus offert,
Lumina cùm senio fessa, manúsque forent.

Ab opificibus, TIT. XXVII.

PHILIPPI.

Tubum, camini follicantem spiritum,
Aurique tabem limam, acutimordicam,
Chelaque duplici imminentem forcipem,
Pedésque leporis colligentes fragmina
Cyllenio, auri Demophon faber, dicat,
Oculum senectus cui premit tenebrica.

EX LIBRO SEPTIMO ANTHOLOGIÆ DIVERSORUM Epigrammatum veterum.

MELEAGRI.

Dulce melos, per Pana, lyra canis, Arcada, suauis
Zenophila, argutas vsque suaue melos:
Quò fugiam te? me cingunt indagine Amores
Vndique, tantillùm nec datur vlla quies:
Scilicet aut me forma petit, vel gratia, rursum
Vel musa; & quid non? totus ab igne cremor.

EIVSDEM.

Albæ iam violæ florent, atque imbris amator
Narcissus, florent lilia montiuaga,
Et, flores inter flos iam maturus, amicæ
Zenophiles suado dulcis in ore rosa est:
Quid vos, prata, iuuat flores iactare comantes,
Si superat flores nostra puella bonos?

EIVSDEM.

Esto, culex, pernix mihi nuntius, inque susurra
Imis Zenophiles auribus ista memor,
Te vigil exspectat; sed amorum oblita quiescis,
Dormísque: ergo vola, vatis amice, vola:
Sed tacitus loquere hæc, oro, ne fortè dolores
Zelotypos moueas euigilante viro.
Sin huc ducis eam, spolijs cingêre leonis,
Parue culex, manibus claua erit apta tuis.

EIVSDEM.

Crudelem vendo præco clamosus Amorem,
Nam matutinus deserit ille torum;
Dulce gemit puer intrepidus, pernixque, loquáxque,
Alæ illi, risus simus, ei pharetra est:
Quo sit patre satus dubium mihi; non mare, nõ hunc
Aut cœlum, aut tellus asserit alma ferum:
Omnibus infestus nempe est, & vbique: videte
Num quæ nunc animis retia fortè parat;
Aspicite vt latebra gaudet; non, parue, lates me,
Arcitenens, oculis condite Zenophiles.

EIVSDEM.

Quin vendetur, adhuc matris dum dormit in vlnis,
Vendetur; nam cur hoc feritatis alam?
Nam puer aliger est, & simulus, vnguibus ima
Qui pungit, risu sæpe fouens lacrymas:
Quid multa? intrepidus, verbosior, efferus, acer
Intuitor, mater quem cicurare nequit,
Omnia portentum: vendetur, & auctio fiet,
Adsit mercari, qui volet hospes emat:
Obsecrat en lacrymans, piget heu te vendere! quin tu
Pone metum; sed ne desere Zenophilam.

ASCLEPIADÆ.

Pulchra suo Didyme rapuit me flore, sed eheu
Ceræ instar, formæ liquor ab igne bonæ!
Quid tum si fusca est; fuscus quoque carbo, sed igni
Admotus, roseo pucher honore nitet.

POSIDIPPI.

Te vigilem sopire mihi precor Heliodoræ

Ignem, Amor; en Musæ supplicis ora tibi:
Namque per indociles alieni vulneris arcus,
(Nostra quibus semper tu petis ossa) tuos,
Si per te morior; carmen tamen ista relinquam
Verba remissurum, Sanguine gaudet Amor.

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

Fractum animum prorsus ne captus amore remitte,
Vsque humiles adhibens voce tremente preces;
Quin obfirma animum potiùs, parcéque tuentem
Flecte oculum, caperans sæpe supercilium:
Nam veluti nimios contemnit fœmina fastus,
Sic nimiùm miseros ludificare solet:
Si quis mollem animum poterit miscere superbo,
Iudice me, prudens talis amator erit.

PAVLI SILENTIARII.

Aureus vt Danaes thalamos conscendit ahenos
Iuppiter, effregit vincula virginea;
Nempe hoc fabella hæc Iouis innuit, ænea tecta,
Vincláque victa, auro cuncta domante, premi;
Auro præceptor, custodia fallitur auro,
Auro inclinantur prisca supercilia:
Sic Danaes mens vincta fuit: iam parcite, amantes,
Si pretium est, precibus sollicitare Cyprin.

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

Antiquo Polemoni, facit quem scena Menandri,
Vxoris teneras dissecuisse comas,
Æmulus est iunior Polemon, ausúsque Rhodanthes
Audaci crines depopulare manu,
Comicáque in Tragicum demutans facta dolorem,

Fœminea ab flagris membra perußit atrox!
Plena eſt inuidiæ pœna hæc: quid enim illa merebat,
Si miſerans mota eſt anxietate mea:
Improbus vtrumque effodiens corrupit ocellum,
Aſpectúque tenus tendit in inuidiam:
Ille tamen nunc eſt Miſumenos; aſt ego verè
Dyſcolos, intonſam qui nequeam aſpicere.

EIVSDEM.

Etſi canities nunc te requieuit, & illud
Obtuſum ardoris prorſus acumen abit,
Qui iuuenum, Cleobule, ſatis ſpectaris amores,
Te iuuenum curas fas miſerare fuit,
Et potiùs culpæ communi ignoſcere, nec ſic
Vngue puellarum dedecorare comam:
Tu miſeræ fueras patris inſtar cura puellæ
Nupera, nunc illi perfidus hoſtis ades.

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

Siquando citharam pulſat, plectrúmque reducit,
Terpſichore fidibus digna puella canit:
Sin quando Tragicis incentibus ora relaxat,
Proxima Melpomenes carmina voce boat:
Quòd ſi de forma fuerint certamina, palmam
Abſtulerit Veneri, iudice vel Paride:
Sed ſileamus, vt hæc ne ſi audiat æmulus Euan,
Mox Ariadneos poſcat inire toros.

MACEDONII Conſulis.

Phoſpore, ne blando vim concitus affer Amori,
Vicinus Marti ne ferus eſſe velis;
Vt fuit Eoo curſus tibi tardus ab ortu,
Vidiſti Clymenes cùm Phaëtonta domo:

Sic mihi ſub noctem, quæ vix illuxit amanti,
Tanquam Cimmerijs tardior orte veni.

EIVSDEM.

Eſt mihi vulnus Amor, déque vlcere lacryma ſanguis
(Plaga indureſcit nec tamen ipſa) fluit,
Eſtque dolor meus immedicabilis; ipſe Machaon
Pro me iam præſens vix medicamen habet:
Telephus en ego ſum, fias mihi fidus Achilles,
O domina, & facti ſis medicina mali.

PAVLI SILENTIARII.

Dic mihi cui nitidos ſperes iam pectere crines,
Cui ſcindendi vngues, cui polienda manus?
Quorſum cæruleas prætexet purpura veſtes,
Formoſa quum ſis tam procul à Rhodope?
Si Rhodopen oculis non eſt fas cernere noſtris,
Et pulchra Auroræ luce carere volo.

MACEDONII Conſulis.

Cùm Niobam aſpiceret lacrymantem fortè bubulcus,
Obſtupuit, fletum quòd daret ipſe lapis:
Sed tantæ flentem noctis caligine, ſpirans
Euippæ nihil eſt me miſerata ſilex.
Auctor vtrique amor eſt, & tanti cauſa doloris:
Nam Niobam nati, me meus vrit amor.

PAVLI SILENTIARII.

Auulſum Doris cùm ex auricomante capillum
Cæſarie, noſtris vincla daret manibus;
Riſi equidem primùm nexus, & ludicra pulchræ
Doridos, hinc facilem dum mihi ſpero fugam;
Pòſt lacrymas fudi, cùm ſoluere vincla nequirem,

Ceu vinctus duris vndique compedibus:
Nunc ter ego infelix vno dependeo crine,
Et blando dominæ differor imperio.

EIVSDEM.

Dissidium tecum iuraui, dîa puella,
Inque duodecimam (Iuppiter) vsque diem;
Nec durare miser potui: nam longior anno
Lux (per te iuro) crastina mihi visa est:
At bona posce deos, scelerum ne tale libello
Iurandum vltores apposuisse velint;
Ac mihi te blandam præsta, neu postea flagris
Conflagrem diuûm, vel, mea diua, tuis.

EIVSDEM.

In nostrum os Galatea fores excussit apertas,
Vespere dein quædam non bona dicta dedit.
Fabula vana ista est, Iniuria soluit amorem;
Irritatus amor nam magis inde mihi est.
Abfore iuraram totum temerarius annum,
O dij! sed supplex manè statim redij.

EIVSDEM.

Siue mitella premit crines tibi, maceror eheu!
Turrigeræ Cybeles dum simulacra tuor:
Seu caput est nudum, effusis præcordia fibris
Exsiliunt, adeo me coma flaua capit:
Infula siue tegit pendentes alba capillos,
Cor miserum flamma non leuiore perit.
Terna decus ternum comitatur Gratia formæ;
Sed decor hic me omnis conficit igne suo.

EIVSDEM.

Nec rosa eget sertis, nec tu, dea, diuite peplo,

Nec

Nec facit ad formam Graia mitella tuam,
Alba colore tuo decedunt marmora, & aurum
Prouocat impexæ gratia magna comæ:
Gratia magna quidem est Indi nigricans hyacinthi,
Verùm luminibus cedit & illa tuis;
Roscida sed labra, & sacri concordia mellis,
Spumigenæ cestum quis neget esse deæ?
Omnibus his pereo: ast oculis demulceor vnis,
Vt placida & melior spes quibus insideat.

EIVSDEM.

Cunctatur Cleophantis: at hæc exhausta lucerna
Tertia, iam languet lucis egena suæ:
O si exstinguatur cum lychno pectoris ardor,
Nec sic me vsque vigil torreat intus Amor!
O quoties Venerem adiurans se vespere dixit
Venturam: ast homines negligit, atque deos.

EIVSDEM, Cùm piscem puellæ misisset.

Vlterius Meroen tua si vestigia firmes,
Illuc aligero me pede portat Amor:
Si petis Auroræ (cuius tu concolor) ortus,
Te sequar immensum semper iturus iter:
Sin munus tibi mitto marinum, ignosce, puella,
Illo te donat nempe marina Venus.
Nulla prioris eam teneat fiducia formæ,
Vincetur formæ diua decore tuæ.

EIVSDEM.

Hippomenem ardebam, mox cœpi ardere Leandrum,
Dúmque Leandreis oscula figo labris,
Aufugit mî animus, Xanthique ab imagine pendet:

Xanthum habui, & rediјt pectus ad Hippomenem:
Præsentem aspernor, nunc hunc, me nunc iuuat illum
Acceptum alterno semper habere sinu;
Ditem quæro Cyprin. Qui sic culpabit amantem,
Solo, vnóque potest pauper amore frui.

MACEDONII Consulis.

Quorsum vaginâ, quæris, producitur ensis?
Non quòd ego indignum Cypride coner opus:
Scilicet vt noris, virgo mea, posse furentem
Molli Mauortem succubuisse deæ:
Cum nostro ille facit commercia semper amore,
Nec mihi opus spectro iam meliore frui,
Nam me formosum facit: at te absente, puella,
Transadiget gladius viscera nostra furens.

EIVSDEM.

Sector amorem auro; nec enim speres vt aratro,
Siue ligone labor conficiatur apum;
Sed rore ex verno: Veneris sic mella potenti
Exspectes auro semper ab artifice.

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

In totam duco noctem suspiria, sed cùm
Exiguæ indulgens manè quietis adest,
Dauliades circum latè loca questibus implent,
Obtundúntque suis me teretismatibus,
Luminibúsque negant optati gaudia somni,
Méque iterum in miseras coniјciunt lacrymas:
Desinite inuidulæ, iam desine, garrula turba,
Germanæ cæsæ non mihi lingua tuæ:
Ite in frondosas valles, ramísque sedentes
Vestrum per montis saxa gematis Ityn;

Vt liceat dormire mihi: me ſomnia quædam
Fortè Rhodantheis iniȷciant ſinibus.

EIVSDEM.

Cùm tibi viue, vale iam vellem dicere, vocem
Iam reuoco, rurſus adſideóque tibi:
Triſte tuum nam diſsidium ſic horreo, vt Orci
Non metuenda mihi nox ſit auara magis.
Par luci tuus eſt ſplendor; ſed & illa niteſcit
Vocis inops, vocem lux tua ferre ſolet,
Sirenum dulces quæ cantus vincit, & vnde
Vitæ omnis pendet causáque, ſpéſque meæ.

EIVSDEM.

Non ſum vinoſus; quòd ſi velis eſſe ebrium me,
Tu mihi prægustans offer, & accipiam:
Vt verò labra admôris, mihi non licet eſſe
Iam ſobrio, aut fugere hoc dulce miniſterium:
Námque calix accepta vehit tua baſia, quæque
Gaudia præcepit, nuntiat illa mihi.

EIVSDEM.

Lychne; tibi imbricitor nequeat concreſcere fungus,
Néve moram obiȷcias huc veniente viro:
Inuidus es Veneri, vel cùm Leander & Hero
Conuenere: Anime, heu cætera mitte loqui;
Mulciberi es, flammǽque ideo aſſentiris herili,
Atque ira Venerem ſic grauiore premis.

EIVSDEM.

Cur gemis? vrget amor: cuiuſnam? virginis: Ecquid
Formoſæ? forma eſt optima viſa mihi:
Dic vbi vidiſti? ad cœnam illuc fortè vocatus

Vidi, communi diſcubuíque toro:
Anne frui ſperas? ſpero verò, & volo, amice:
Sed furtiua placet, non manifeſta venus;
Legitima ergo fugis connubia? noui ego certò
Non eſſe huic noſtræ conditionis opes:
Certè hoc ſi noſti, verum mentiris amorem:
Quî pote vt efflictim vis rationis amet.

EIVSDEM.

In medio ſolus geminarum fortè ſedebam,
Illi gratificans, hanc miſerè cupiens:
Dum trahit illa mihi dans ſuauia, fur velut iſtam
Oſculor, at parcè clámque labella ferens:
Æmula ſed fallens vicinæ fæmina, & horrens
Huius amorifragi nuntia ſigna metûs,
Triſtis ego hîc, inquam, duplex mihi pœna parata eſt,
Seu quia multus amem, ſeu quia forſan amer.

EIVSDEM.

Olim altùm ſapiens, & pexos crebrà capillos
Concutiens, forma facta ſuperba ſua,
Suſpendens noſtrum naſo aſpernante laborem,
Sicca riget, manibus nec velut antè nitet,
Tabeſcunt oculi, ceciderunt frontis honores,
Mamma iacet, rauca voce labella tremunt:
Canitiem appello (Nemeſis iuſtiſsima amorum eſt)
Faſtoſas propero quæ ſcit adire gradu.

EIVSDEM.

Téne, Philinna, etiam magnus tenet ardor amoris,
Luminibúſque ſedet tabida cura tuis?
Aut ſi dulcem oculis vſurpas læta ſoporem,

Nec numerus curæ eſt, nec ratio vlla meæ?
Forſan erit tua cùm lacrymis videam ora rigari,
Et miſeranda pares experiere vices:
Namque Venus, quæ ſæua aliàs, hoc obtinet vnum
Egregium, huic odio eſt ſi qua ſuperba venit.

EIVSDEM.

In longam Melite quamuis porrecta ſenectam,
Non iuuenile tamen perdidit illa decus: (dunt
Quin & adhuc læta ora nitent, neque blanda rece-
Lumina, & annorum ſtat numeroſa decas;
Ac iuuenilis adhuc manet illa ferocia: quare
Naturam tempus nec ſuperare poteſt.

EIVSDEM.

Dum ſtudeo ecquid amore meo ſit tacta Rubeta
Arguere, aſtutè ſic animum experiar,
Ac dicam, Certum mihi iam peregrè ire, puella,
Viue, mane; at ne abeat pectore noſter amor:
Protinus illa altùm gemuit, fœdauit & ora
Exſultim, & cœpit mœſta ſecare comam,
Orátque vt ne ſe linquam: tandem ipſe reluctans
Illi nutum oculo deliciante dedi.
Quàm fœlix in amore ego ſum! quæ pectore toto
Optabam, hæc grati muneris inſtar habet.

EIVSDEM, Cùm è regione Vrbis ageret, vt de iure reſponderet,

Ad P. SILENTIARIVM ὑπομνηστικόν.

Hîc viridi flores tellus cum cæſpite, fructus
Hîc pandit frondens plurima ſilua ſuos:

Multa ſub vmbroſis canit hîc cupreßibus ales,
Et teneros fœtus garrula mater amat:
Dulce ſuſurrat acanthis, acredula vocibus inſtat
Argutis, duros inter aprica rubos:
Sed quid me iſta iuuant, tua ſi mihi dicta placerent
Plus quàm Phœbææ murmura docta lyræ?
Et geminus me tentat amor; tua namque beata,
Et dulcis Damalus ora videre velim,
Cuius cura vror: verùm à me Dorcalin arcet
Molliculam, legum publica cura, procul.

PAVLI SILENTIARII,

Reſcripta in idem.

Neſcit amor legem violentus, nulláque demum
Res alia ardenti priuet amore virum.
Quòd ſi te legum retinere negotia poſſunt,
Ergo tua exiguus pectora torret amor.
Hícne amor eſt cum dißidium feciſſe puella
Longum? parua tuæ nunc maris vnda poteſt:
Nauita Leander nocturnus ſpretor aquarum
Quanta ſit ingenti vis in amore docet.
Quin tibi, amice, adſunt naues; ſed Cypride miſſa
Plus curæ Pallas eſt tibi, plúſque frequens.
Leges Pallas habet, deſiderium Venus: ecquis
Iam ſeruire deæ poßit vtrique ſimul?

AGATHIÆ SCHOLASTICI.

Maior flexanimas vrit nos cura puellas,
Non adeo in iuuenes obſidet vſque labor;
Quippe ſuis illi ſociati æqualibus, audent
Ore graues curas liberiore loqui,
Vel luſu veniunt ſolatia; deinde vagantur

Per plateas, pictis mens hiat in tabulis;
At tecto inclusas nos cura tenebrica damnat,
Nec fas luce frui Solis, & ire foras.

EIVSDEM.

Nil nimis, vt Sapiens ait; at, ceu dignus amari,
Formosúsque altùm plus nimio sapui;
Dúmque cor in manibus nostris reor esse puellæ
Omne situm, astutæ forsitan atque malæ,
Illa supercilium & fastum altiùs extulit, ac si
Accusanda sibi pristina facta putet:
Nunc ego trux ille & rigidus, flectíque rogando
Lentior, ille petens alta, repente cado:
Omnia mutantur vice versa, Ignosce puellæ
Congenulans dixi, stulta iuuenta fuit.

ARENÆI Referendarij.

Lumina distorques, flammæ simulacra latentis,
Distento ore tibi torua labella madent,
Multáque lascíuis crines concussa nitentes,
Et laxa est penitus illa superba manus,
Nec ceruicosæ mentis cecidere tumores,
Nec, quamuis marces, mitior esse potes.

PHILODEMI.

Murmuris & strepitus testem, tacitámque lucernam,
Postquam perlargo fuderis imbre olei,
Exi; homines nam solus Amor pro testibus odit:
Exi ergo, & clausas redde, Philæni, fores.

EIVSDEM.

Heliodoreos fugere improba mens monet ignes,

Et Zeli, & fletus conscia præteriti:
Recta monet; sed nulla mihi effugisse potestas;
Nam monet, atque monens improba semper amat.

EIVSDEM.

Captus amore fui, & quis non? quis nesciit istas
Nequitias? furor est; sed tamen ille dei est:
Quin valeat; canos maturat nigra capillos
Cæsaries, ætas iam meliora monet:
Ludendi cùm tempus erat nos lusimus; at nunc
Cùm non est, curæ sint potiora bona.

EIVSDEM.

Diues amabas, Sosicrates, nunc pauper amare
Desisti; quanta est ò medicina famis!
Quæ priùs vnguentum te, & amica vocabat Adonin,
Iam nescit nomen Menophilæa tuum;
Sed rogat, Ecquis homo, qua natus in vrbe? vides iam
Hoc verum esse; Inopi nullus amicus adest.

Τοῦ αὐτοῦ.

Ἠράσθην Δημοῦς, Παφίης γένος· οὐ μέγα θαῦμα.
Καὶ Σαμίης Δημοῦς, δεύτερον· οὐχὶ μέγα·
Καὶ πάλιν Ἀσιακῆς Δημοῦς, τρίτον· οὐκ ἔτι ταῦτα
Παίγνια· καὶ Δημοῦς τέτρατον Ἀργολικῆς·
Αὐταί που μοῖραί με κατωνόμασαν Φιλόδημον·
Ὡς αἰεὶ Δημοῦς θερμὸς ἔχει με πόθος.

EIVSDEM.

Poblia me Paphie (nec res mirabilis) vssit;
Altera me tenuit Poblia nata Samo:
Tertia possedit me Poblia, verùm Asiana;

De gente Argolica Poblia quarta fuit:
Hinc me Publicolam non frustrà fata vocarunt;
Nam semper quædam est Poblia noster amor.

EIVSDEM.

Parua, & fusca quidem, tenera sed mollius vnda
Corpus habens, apio crispa virente magis,
Nequior & cesto, cui vox est blanda, Philænis
Omnia dat parcè, sed tamen illa procat:
Talem semper amem, videámque Philænida, donec
Diua Venus flamma det potiore frui.

EIVSDEM.

O crura, atque pedes, ò nostræ occasio mortis,
Clunes, ò pecten, ò femora, ò latera,
O crudæ'que papillæ, ò collum insigniter album,
O manus, ò noster, lumina bina, furor,
O vox qua perco, ò luctantia basia linguis,
O opus artificis mobile nequitiæ!
Quòd si opica est & fusca, & doctæ nescia Sapphûs,
Nónne Indam exarsit Perseüs Andromedam?

EIVSDEM.

Scita puella mane; quale est tibi nomen? vbi te
Cernere erit? dabimus quod lubet: ergo taces?
Heus vbi te inueniam? mittámne aliquem? ecquis ha-
Dura vale; an nobis & vale dura negas? (bet te?
Atque iterum, atque iterum accedam; mollire rigẽtes
Possum, & plus duras: ergo, puella, vale.

MELEAGRI.

Sæuus Amor, sæuus! sed quid iuuat ista referre

Sæpe, & lugentem dicere, sæuus Amor!
His etenim ridet puer hic, læsúsque frequenter
Lætatur, vitam ducit ab opprobrijs:
Hoc verò impensè demiror, quî fit vt ignem
Ex vndis pariat æquore nata Cypris.

EIVSDEM.

Quid mirum si tela ferox iacit ignea paruus,
Et sæuo multùm lumine ridet Amor?
Nónne fouet Martem genitrix, non coniuge gaudet
Volcano, pariter ensis & ignis amans?
Non matris mater ventorum insana flagellis
Murmura dat Tethys, nec pater vllus ei?
Quare Volcani flammas habet, æquoris iras,
Tristis amat Martis tela cruore lita.

EIVSDEM.

Ipse etiam ales Amor retinetur in æthere vinctus,
Timarion, oculis præda recepta tuis.

EIVSDEM.

Si bona forma senet, perituræ haud parcito formæ:
Sin manet, an metuis non peritura dare?

EIVSDEM.

Vrbis adustricem, & pretij Sthenelaïda multi,
Quæ cupidis aurum sueta crepare viris,
Indulsere mihi per totam insomnia noctem,
Et gratis nuda me voluere frui.
Certum est nec posthac plorare, nec ora precari
Barbara, somnum hæc qui gratificetur, habens.

ASCLEPIADÆ.

His foribus mihi pendentes remanete, corollæ,

Nec folia in ventos protinus excutite:
O nostro madidæ fletu (nam lumina amantum
Vuida) sed si illum, cùm sit aperta foris,
Adspicitis, stillate meum in caput illius imbrem,
Imbibat vt lacrymas sic coma flaua meas.

EIVSDEM.

Non venit, quæ ter iurauerat Heraclea
Venturam; sed si tu quoque numen habes,
Lychne, mihi sodes fallacem vlciscere, cúmque
Intus amator erit, lumina fida nega.

ANTIPHILI.

Dicebam infantes iaceret cùm parua Terena
Illecebras, omnes vret adulta viros:
Ridebant omnes vatem; nunc tempora dicta
Venêre, hoc sensi vulneris antè diu
Hei mihi spectanti nihil est nisi flamma, dolórque
Absenti; cupido, virgo, perire meum est.

RVFINI.

Floribus intextam tibi do, Rhodoclea, *corollam,*
Lectáque de manibus serta tenella meis;
Lilia habet, violásque nigras, calathósque rosarum,
Narcissum, & flores, pulcher Adoni, *tuos;*
Hac redimita comas iam parce superbior esse:
Nempe cadent flores, & tua forma cadet.

EIVSDEM.

Altera ceu Cypris *mihi erat vicina, meúmque*
Non leuiter pectus vssit amore suo:
Ludebat mecum, captabam ego tempus, & illam:
Erubuit, quid tum? sensit amata libens.

Vici, & perfeci: nunc horam intelligo partûs
Expetere, hei dubito num fugiam, aut maneam.

EIVSDEM.

Hic mihi non amor est doctis persuasus ocellis,
Præstantem forma si quis habere cupit:
Sed quisquis mentis furiatæ percitus œstro
Deformis visæ flagrat amore graui,
Hoc amor est, hoc flamma; nec est mirabile si quis
Spectator formæ, pulchra libenter amat.

EIVSDEM.

Armabo pectus ratione aduersus Amorem,
Nec solum solus me superabit Amor,
Congrediárque deo mortalis; si tamen illi
Bacchus adest, contra quid potero ipse duos?

EIVSDEM.

Et Iunonis habes oculos, palmásque Mineruæ,
Et Paphiæ mammas, atque pedes Thetidis:
Felicem tua forma facit, tua verba beatum,
Basia semideum, concubitúsque deum.

EIVSDEM.

Multa meam dulcem iubeo Rufinus auere
Speratam; sine me si modò auere potest.

EIVSDEM.

Tu deus es, si tendis vtrique æqualiter arcum:
Sin facis vt præ pars ponderet, haud deus es.

EIVSDEM.

Certant inter se Rhodope, Melite & Rhodoclea,
Præstabit forma quæ meliore trium:

Captus ab his iudex, visòque decore, putaui
Esse deas, nectar si modo adesset eis:
Sed memor antè Paris tulerat quæ præmia propter
Iudicium, formæ præmia cuique dedi.

EIVSDEM.

Me me blanda iuuant Europes basia, seu mî
Labra premit, seu me basiat ore tenus:
Nam summis labris non tangit, sed premit ora,
Et trahit ex ipsis vnguiculis animam.

EIVSDEM.

Non tibi prædixi, Prodicilla, senescimus, anni
Depereunt, ætas instat amorifuga;
Nunc rugæ & cani, & corpus squallore vetustum,
Nec nitet in putri pristinus ore decor:
Quis supplex accedat, aduletúrve superbæ
Iam tibi, quam tumulum nunc velut effugimus?

EIVSDEM.

Orabam supplex Prodicam, cùm in tempore solam
Offendi, ambrosium mox tetigíque genu,
Serua hominem, dixi, propè fata extrema trahẽtem,
Et fugientem animam gratificare mihi:
Hæc vbi fatus eram, fleuit; sed lumina fletu
Abstergens, teneris nos repulit manibus.

MÆCII.

Iuraui imperij vestri, Cytherea, quietem,
Et noctem geminam me fore ab Hedylia:
Forsitan & rides, nostri ceu conscia morbi,
Vota ferant venti; ferre aliam nequeo;

Impius esse huius malim ergô, quàm tua seruans
Sacramenta, Venus; præ pietate mori.

MARCI Argentarij.

Aspicite, ô cornu Phœbe aurea, & ignea cæli,
Quæ largo astra sinu suscipit Oceanus,
Vt me desertum vnguentata reliquit Arista,
Quæ sex mentita est iam mihi vana dies:
Inueniam tamen hanc, Veneris si ex ære sagaces
Vestigatores misero fortè canes.

EIVSDEM.

Dena age Lysidicæ, puer, ingere pocula, & vnum
Optatæ Euphrantæ; nam satis vnus erit.
Dices, Lysidicam magis ardes: non ego, dulcem
Testor Bacchum, auidè quem calice hocce bibo:
Vna decem contra Euphranta est mihi; scilicet ignes
Stellarum innumeros vnica Luna premit.

EIVSDEM.

Virginis insano Alcippes vrebar amore;
Persuasi, furtim concubuíque toro:
Quàm mirè ambobus saliebant pectora, ne quis
Ingrueret tacitæ furta videns veneris:
Fallere non potui matrem, quæ garrula cernens,
Communis, dixit, filia Mercurius.

ANTIPATRI THESSALONICENSIS.

Omnia rite quidem: verùm super omnia rectè
Mæonidæ quondam est aurea dicta Venus:
Nam nummos si contuleris, nec limina custos
Vinctus habet, nullus ianitor ante pedes:

Sin nihil, en etiam tibi Cerberus: ò nimij auri
Copia, quàm ſola es noxia pauperibus!

EIVSDEM.

Luceſcit, Chryſilla, hoc iam, iámque ales Eous
Auroram reuehens nuntiat inuidulam:
Vah! pereas auium quot ſunt ſæuiſſime, qui me ex
Ædibus ad ſocios pellere amas iuuenes;
Te ſenium, Tithone, premit: nam cur tua coniux
Tanto manè tuis egreditur thalamis?

CALLIMACHI.

Callignotus amans iurauit Ionidi, Amicus
Te mihi nullus erit, nulla & amica prior:
Iurauit; ſed verè aiunt, periuria amantum
Aures magnorum nulla ſubire deûm.
Nunc igne alterius calet hic, miſeræ'que puellæ,
(Vt Megaræorum) non ratio aut numerus.

INCERTI AVCTORIS.

Diſperεam ſi ferre queam (tua lumina teſtor)
Deſertúmque torum, diſſidiúmque tuum;
Sed fletu lacrymiſque madens, aut prorſus ad Orcum
Cras veniam, aut templum nobile ad Artemidis.
Verùm me patria accipiet: tua lætus adibo
Lumina, te multùm ſemper auere iubens.

INCERTI AVCTORIS.

Siue mihi nigro viſa es ſplendeſcere crine,
Siue mihi flaua, dîua, nitêre coma:
Par in vtroque micat tibi gratia: nempe amor iſtos
Crines & canos incolet aſſiduus.

INCERTI AVCTORIS.

Quid me accedentem, ô nutrix, latratibus arces;
Tristitiáque dupla me miserum angis, anus?
Virgineam ducis formam, vestigia cuius
Insequor, & pedibus qualibet ecce feror,
Vt formam aspiciam infelix: quæ luminis eheu!
Inuidia est? formas conspicimúsque deûm.

INCERTI AVCTORIS.

Si quis erit famulum qui me culpabit Amoris
Errantem, cuius lumine viscus inest;
Ille Iouem, Ditémque sciat, regémque marinum
Seruitium ardoris ferre Cupidinei:
Si tales superi, quos nos imitarier aiunt,
Quæ culpa est diuûm dulcia facta sequi?

INCERTI AVCTORIS.

Qua sit amãdus amans ratio mihi cognita dudũ est,
Noui & punctorem pungere, bella, meum:
Ne crucies, ne me nimis iriteris amantem,
Parce, graues iras effuge Pieridum;
Dicebam priùs hæc, clamabam: sed mea fluctus
Iuerunt tanquam verba per Ionios:
Hinc tua nequicquam nunc & suspiria clamant;
Me iuuat in blando Naiadis esse sinu.

ALIVD.

Pota, Asclepiade; quid fletu proficis isto?
An solum Cypris te populauit atrox?
An tela in te vno promens vacuauit & arcum
Durus Amor? viuum cur tenet vsque cinis?

Nos mera vina iuuent: ſopitorémne moremur
Hîc lychnum? digitus ſcilicet ipſa dies.

ALIVD.

Mecum habitet tantùm meus ignis; ſin aliò errat,
Eſt mihi communis, Cypri, odioſus amor.

ALIVD.

Nec nimiùm mihi caſta, nec eſt mihi ruſtica grata;
Illa quidem citiùs, tardiùs illa cupit.

ALIVD.

Fruſtrà eſt quod ſperem vitare Cupidinis îctus,
Vrget me peditem crebrà volucris Amor.

ALIVD.

Me roſea inſanum furiant arguta labella
Tabifica, atque oris limina nectarei,
Sub denſíſque oculi cilijs duo ſcintillantes,
Caſſes, & noſtris retia viſceribus,
Lacteolæ & mammæ bene iunctæ, habitæque ſuaues;
Nullîus tanta eſt gratia blanda roſæ.
Sed canibus quid nos oſtendimus oſſa? ſat oris
Linguæ'que infrænis, teſtis arundo Midæ.

Finis Epigrammatum à FL. CHRISTIANO ſelectorum ex ſeptem Græcæ Anthologiæ libris.

In ſeptem Planetas, eorúmque in nos vires & affectus.

Ex eadem Gr. Anthol. pag. 494. editionis H. STEPHANI.

PEr cæli anfractus errantia ſidera ſeptem
Voluũtur, quorum ad normam cõponitur æuum:
Nocte nitens Phœbe, triſtis Saturnus, hians Sol,
Cinguliporta Venus, Mars audax, aliger Hermes,
Naturæque parens, atque ortûs Iuppiter auctor;
Ipſa quoque humanas agitant res, nóſque gubernant
Luna, Venus, Mars, Saturnus, Sol, Iuppiter, Hermes:
Scilicet æthereis omnes ſortimur ab aſtris
Riſum, iram, lacrymas, ſomnũ, ortũ, verba & amorẽ;
Saturnus lacrymas, verba Hermes, Iuppiter ortus,
Mars iram, ſomnum Phœbe, dat Cypris amorem,
Sol riſum, immenſus meritò qua lampade mundus,
Et genus humanum, & mortalia ſecula rident.

PLATONIS,

In Agathonem, pag. 526. eiuſdem Anthologiæ.

Elos animæ ad mea labra, Agathonem cùm oſculor, hæret,
Ceu velit infelix præteritura mori.

Vel ad hunc modum,

Senſi animam in labijs Agathonis ſuauia carpens;
Venit enim infelix trans vt itura foras.

Ex Epigrammatibus in Fontes, quæ pag. 534. eiusdem Gr. Anthologiæ continentur.

Apud Sotionem, & Vitruuium.

Rustice, cū gregibus, medio dū Phœbus in axe est,
Si per Clitorios te sitis vrit agros,
Hoc de fonte potes latices haurire, tuúmque
Iure gregem Nymphis tradere Naiadibus:
Parce lauare tamen, ne te intus læserit aura,
Si dulci pectus ebrietate madet:
Osorem vini fontem fuge; nempe Melampus
Ereptus furijs Prœtidas hucce lauans,
Accisa iniecit mentis purgamina, ab Argis
Cùm iuga petrosæ venit in Arcadiæ.

IBIDEM.

Frigidus iste latex, & dulcia pocula fontis;
Sed sensu tamen est qui bibit inde, lapis.

IBIDEM.

Horribiles sunt fontis aquæ, quas aspicis, hospes,
Non nocitura tamen sumpta lauacra manu:
Sin puros latices in pectoris intima mittas,
Atque ore attingas summa labella tenus,
Mox tibi sponte cadent, qui frendunt daptica, dētes,
Et gingiuarum sedes inermis erit.

Ab incerto auctore inter Epigrammata γριφώδη, *quæ pag. seq. habentur.*

Εἰς ἔσοπτρον.

SI cernas me, ego te cernam; quid cernis ocellis?
Non oculis ego; nam non mihi sunt oculi:
Si tu vis, sine voce loquor; vox scilicet in te est;
At frustrà mihi sunt oris aperta labra.

Εἰς φοινικοβάλανον.

Nomen matris habens, sum matre suauior ipsa;
Sed rectè oblonga est illa, pusillus ego:
Solum illi cerebrum est quod edas, ego totus edulis;
Intestina tamen quæ gero nullus edit.

Εἰς κινάραν.

Expers sum capitis, cerebrum fero; sed mihi ceruix
Oblonga est; viridem me bona tollit humus:
Sum sphæræ similis, quam subtus tibia firmat,
Intestina patrem sed mea matris habent.

Εἰς δέλτον.

Mater sylua mihi est, sum ferri opus arte politum,
Mystica Musarum sedes & hospitium:
Clausa tacebo, & aperta loquar, Martémque loquelæ
Vnum habeo socium participémque meæ.

Εἰς σφαῖραν.

Plena pilorum ego sum, folijs celantibus illos,
Quódque foramen inest, non patet esse mihi.
Multis ludibrium pueris ego debeo, & in me
Si quis ineptus erit danda, vt asellus erit.

Sequentes variorum auctorum versus Latinos è Græco fecit idem CHRISTIANVS.

Ex Archestrato, In Γαστρονομία, apud Athenæum lib. III.

INgentes Ænus mitulos, fert ostrea Abydus,
Vrsas dat Parion, Mitylene pectine abundat,
Nec minus Ambracia, ipsa Aures latura marinas;
Angusto vicina freto Messenia conchas
Vrbs feret immanes, Chamæ capientur opimæ
Vrbe Ephesi, veluti Chalcedone tethea: verùm
Præcones omnes malè perdat Iuppiter, & qui
Æquor, quíque forum celebrant: ex omnibus vnum
Excipiam, mihi qui bonus est, fidúsque sodalis,
Vitiferæ ciuis qui Lesbi, Agathónque vocatur.

Ex eodem libro, & auctore.

Tu caput ad cœnam semper præcinge corollis
Omnigenis, quas terra solet producere fœlix,
Vnguinibúsque comas liquidis perfunde fluentes,
Inque tepentem ignis cinerem tota inijce luce,
Et thus & myrrham, Syriæ fragrantis honores;
Mox aliquis tibi potanti hæc bellaria ponat,
Elixam porcæ vuluam cum ventre, natantem
Silphio, aceto acri, simila, tenuíque cumino,
Atque assos gallinarum, pro tempore, pullos.
Néve Syracosios cures imitarier istos
Potantes tantum vt ranæ nil prorsus edentes;
Ne præbe os illis, sed quæ tibi edulia dixi

His fruere, illa autem fugias bellaria, lentem,
Mala, fabas, cicerem, ficus: miserísque relinque
Pauperibus comedant hæc mendicabula vulgi:
Sed nec displiceat tibi Athenis facta placenta,
Quæ si fortè aliàs desit tibi, mella parato
Attica, non aliunde nitet, meliórve superbit.
Sic viuat liber, vel Tartara in atra facessat
Sub stadia immensa, & terras defossus opertas.

Ex Parmenone Byzantio, lib. v.

Qui vir merum haurit quantũ aquarum equus potat,
Huic lingua Scythica est, nosse nec potest Kappa,
Iacétque mutus, ínque dolio vrinat
Grauisomnus, hausto ceu papaueris potu.

Ex Antiphane, Ἐν Γρογύνοις, lib. vi.

Noti satis sunt iam tibi mores mei,
Nec fastus in me est, talem amici viderint:
Ferri videbor massa, si feriar, rigens;
Si ferio, fulmen; si quis excæcandus est,
Fulgur; ferendum si quid est, aura; laqueus,
Si strangulandum est; ad reuellendas fores,
Terræ videbor motus; insiliens, ero
Velut locusta; musca, si conuiuium
Adeam inuocatus; puteus, vt non exeam:
Occidere, imperare, vel testem dare
Si iusserit quis, cuncta perficiam libens,
Incogitánsque: hinc iuniores Fulminis
Mihi nomen indidere; sed nihil moror
Tales cauillos: nam sum amicis commodus
Fidúsque verè amicus, haud verbis tenus.

Ex Dorieo poëta, lib. x.

Talis erat Milo Iouis ad conuiuia tollens
Quadrimæ è terra pondera iniqua bouis,
Ac humeris facilè iumentum immane ferebat,
Agni instar celebris, per spatia ampla fori.
Magna quidem hæc; maiora tamen miracula dices,
Aras Pisæi quæ dedit ante Iouis:
Namque bouem ingentem, pompæ quẽ duxerat instar,
Totum in frusta secat carnea, solus edens.

Ex Ione Chio, lib. eod.

Thyrsiger in vino magnos fert Bacchus honores:
Plurimus hinc sermo nascitur, atque iocus.
Hinc celebrant Reges conuiuia, Græcia magnos
Mercatus, ex quo è vite racemifera
Sarmentum exortum est, cubitóque propaginis almæ
Innixa est suboles, matris & ex oculis
Inter se streperi nati saliere cadentes,
Antè quidem taciti, murmure mox posito
Immulgent nectar solum lætabile; felix
Quæ nata humanis est medicina malis,
Quæ genuit dulces epulas, festásque choreas;
Tot bona vis monstrat imperiosa meri.
Euge pater Dionyse, hominum gauise coronis,
Qui lætis epulis inter es atque praees,
Salue, da pulcrorum operum deus adiuue, in æuum
Ludere, potare, & iustitiam colere.

Eubuli griphus, In Σφιγγοκαρίωνι, lib. eod.

Linguæ expers voces edit, mas, fœmina, nomen
Non mutans, ventos proprios in se ipse recondit,

Hiſpidus & læuis, fatuis dat barbara dicta,
Ex modulis ducens modulos, idem omnis & omnia,
Et licet infligas huic vulnera, vulneris expers.
Quid hoc rei eſt? quid hæſitas, Calliſtrate?
Podex tibi ille eſt: tu quidem nugas agis,
Nam elinguis eſt, loquáxque, nomen plurimis
Vnum eſt, & expers, & capax eſt vulneris,
Hirtus, glabérque plurimos flatus tenet.

Ex Mimnermo, lib. XI.

Quottidianus enim Solem labor improbus vrget,
Ac nulla ipſi vnquam, nulla laboris equis
Pauſa quiéſve datur, roſeis Aurora lacertis
Cùm cælum aſcendens venit ab Oceano:
Namque cubile cauum fert hũc ſuper æquoris vndas,
Vulcani artifices quod poliere manus
Ex auro: iam ſumma volans per culmina aquarum,
E ſomno terra raptus ab Heſperidum
Sol & ad Æthiopas, vbi currum ſiſtit equóſque
Strigantes, donec ſurgat aperta dies.

Ex Antiphane, In Antæo, lib. XII.

Pauliſper audi, noſtin' hic quis ſit ſenex?
Græcum eſſe Græci forma vultus arguit,
Et alba, læna & fuſca tunicula elegans,
Molléſque cani, & ſcipio concinnulus,
Rectúſque, parua & menſa: quid multis opus?
Ipſam videre Academiam videor mihi.

Ex eodem libro, & auctore.

Lauauit ille penitus in pelui aurea
Pedes, manúſque Ægyptio primùm vnguine,

Dein papillas & genas Phœnicio,
Simul & vtrumque brachium ſiſymbrio,
Mox & ſupercilia, & comas amaraco,
Serpyllino genua, atque ceruicem linit.

Ex Suida, *voce* Αἶνος: de quo etiam Athenæus pag. 124. Αἶνος τίς ἐστιν, &c.

Prouerbialis ſirpus eſt, Virum haud virum,
Ligno inſidētem haud ligno, auem haud auem, ſtatim
Necaſſe ſaxi haud ſaxi acuto pondere.

Sirpum ſic enodauit Fl. Chriſtianus.

Ferulæ inſidebat fortè veſpertilio,
Occidit illum pumicis iactu ſpado.

MVSÆI *(vt ferunt)* POEMATIVM,

De amore & morte Leandri & Herûs.

AB EODEM FL. CHRISTIANO versibus è Græco expressum.

INSEQVE, Diua, facem, furtiuos testis amores
Quæ vidit, simul vndiuagi nocturnum Hymenæi
Inque natatorem, & connubia furua perenni
Inuisa Auroræ, Sestónque & Abydon, vbi Herûs
Festinatus Hymen noctu est; audire Leandrum
Iam videor, Venerísque, ipsam, quæ nuntia, tedam,
Herûs noctiuagæ quæ præuia pronuba, Amoris
Grande decus tedam, quam post certamina noctis
Inserere astrorum numero cata debuit alti
Cura Iouis, mox dicere & indigitare iugale
Sidus amorum: adiuuit enim sine more labores
Clara Cupidineos, atque insomnes Hymenæos:
Nuntia seruauit vigilans, infesta priusquam
Vis venti ingrueret: sed nunc mihi concine mortem
Leandri, exitiúmque exstinctæ triste lucernæ.

Aduersa opposite duo sunt, pontóque propinqua
Oppida Sestus, Abydus: Amor cùm tenderet arcum,
Tunc fortè vna vrbem percußit vtramque sagitta,

Virginis & iuuenis quo pectora torruit ictu:
Nomen erat iuuenis Leander, *virginis* Hero;
H*æc vrbem* Sestum, *contrà ille tenebat* Abydum,
Ambo vtriusque vrbis pulcherrima sidera quondam,
Consimilésque sibi: Qua, si vnquam sit tibi cursus,
Parte, super turri rogites quà Sestias Hero
Lychnum stabat habens, & dux erat alta Leandro:
Tum freta pontisona antiquæ sciteris Abydi
Suspirantis adhuc & amorem, & fata Leandri:
Verùm quî potuit ciuis Leander Abydi,
Et capi amore Herûs, *& amore ligare cupitam?*
Pulchra Hero *claro genere orta, Iouísque propages,*
Sacra fuit Veneri Cythereæ *antistita virgo,*
Indocilísque tori, Cypris digna ipsa videri.
Nunquam fœmineis (pudor is fuit) ausa cateruis
Misceri, aut choreas æquæuæ pubis adire,
Æmula fœminei fugiens contagia sexûs,
Qui semper formæ prælato inuidit honori:
Verùm perpetua Veneris *prece numen amicans,*
Sæpe sacris sub muneribus placabat Amorem,
Cælesti cum matre, timens flammata pharetræ
Vulnera: sed nec sic potuit fugere ignea tela.
Iámque dies aderat, qui Sesto *festus in vrbe,*
Publicus, huc Veneríque, *&* Adonidi *soluere vota*
Omnis conferto plebs agmine concurrebant;
Huc vicina suos omnis tulit insula ciues:
Æmoniæ hinc, hinc æquoreæ ruit incola Cypri:
Nulla Cythereas tenuit tunc fœmina sedes,
Nullus odorati Libani *saltabat in antris,*
Nullus tam celebri tunc defuit accola luce;
Huc Phrygiæ, *huc venit vicinæ habitator* Abydi,

Quique puellari iuuenes ardore tenentur.
Namque illis solitum celebrare frequentibus vrbes,
Ducere quas fama est festæ solemnia lucis,
Non tam sacrorum, quàm formæ propter amorem
Virgineæ. Tunc ergo Deæ delubra petebat
Virgo Hero, faciem splendore corusca venusto,
Menstrua nascenti qualis Luna albicat ore;
Cui summos niuearum orbes rubicunda genarum
Almities notat; vt bicolor rosa primitus exit
E calatho: credas pratum fulgere rosarum
Pulchra per ora Herûs; etenim rubor vndique malas
Vestibat, subtérque pedes, dum incedit, amictu
Candidulo fulsere rosæ; quin gratia membris
Multa inerat: Charitas tantùm tres esse Vetustas
Falsò ait, vnus ocellus enim si riserat Herûs,
Crescebant centum Charites: hæc Cypride digna
Flaminica, exsuperánsq; omnes forma illice Nymphas
Esse Venus meruit, Veneri sacrata Camilla:
Hæc facilè iuuenum subijt præcordia, nec vir
Vllus erat qui coniugium non posceret Herûs;
Quæ quoties, & quà templum sublime pererrans
Incedit, trahit in se animos oculósque virorum,
Hanc aliquis iuuenum miratus talibus infit,
Et Spartam ascendi, & vidi Lacedæmonis arces,
Magnum vbi certamen formarum audimus haberi;
At non sic tenero & molli veneranda decore
Visa mihi: ac forsan Charitũ Venus hîc habet vnam:
Lumina lassa mihi, sed non satiata videndo;
Lecti Herûs initum haud dubitem vel morte pacisci:
Nec deus esse velim, nec cæli gaudia curem,
Ædibus in nostris potiar si coniuge tali.

Sin mihi fas non est sacram adfectasse Camillam,
Da similem vxorem thalamis, Cytherea, fouere.
Sic aliquis iuuenũ in vota hæc clamabat, idémque
Vulnus alunt alij venis, furtim illa furentes
Forma facit: grauiora quibus tu, passe Leander,
Non tua furtiuis pungebas pectora curis;
Verùm improuiso telorum saucius igne
Nolebas sine forma Herûs producere vitam:
Ex oculorum acie fax augescebat amorum,
Pectus & inuictæ bullibat ab impete flammæ:
Namque inculpatæ præstans bona forma puellæ,
Corda virûm penetrans volucri cadit ocyùs arcu:
Pandit ocellus iter, cuius de verbere acuto
Labitur, atque viri subit in præcordia vulnus;
Hunc pudor & stupor atque effrons fiducia cæpit,
Atque tremor; nam cor trepidat, vincique pudebat:
Et stupet in forma, sed amoris flamma, pudore
Deposito, audacem faciens, insurgere iussit
Compositis sensim pedibus, tum virgine coram
Astitit, obliquánsque dolo motabat ocellos,
Nutibus impellens tacitis errare puellæ
Mentem oculósque Herûs: quæ postquã sensit amorem
Leandríque dolos, gauisa est conscia formæ;
Sæpe etiam tacitum vultum demissa fefellit,
Nutibus occultis dans nuntia signa Leandro,
Atque iterum auertens: iuuenis tum gaudia pectus
Pertentant, quòd se virgo intellexit amari,
Nec renuit: Dúmque occultam sibi postulat horam
Leander, Sol contracta iam luce latebat
Occasus, vespérque aderat cum grandibus vmbris:
Ille pede audenti confestim accedit ad illam,

Vt vidit pulla conceptas veste tenebras,
Vtque manum roseam compressit leniter Herûs,
Insanùm quantum ingemuit: voci illa pepercit
Iratam simulans, pulchrámque auersa retraxit
Inde manum; sed vbi nutûs, animíque remissi
Indicia accepit Leander, *veste petitam*
Purpurea audacter deduxit in vltima templi.
Ponè sequebatur pedibus cunctantibus Hero,
Nolenti similis, vocésque has ore refudit,
Fœmineum minitans in morem & verba Leandro,
Quis furor ô hospes? quid me rapis, ô scelerate
Virginem? abi actutum, & mea vestimenta relinque;
Néve meorum iram locupletum accerse parentum:
Non tibi fas Veneris *sacram adfectare ministram,*
Nulla via est qua tu posis contingere lectum
Virginis: Hæc *sic virginibus consueta minata est;*
Ille minas simul ac, muliebrésque audijt iras,
Agnouit victæ signa haud obscura puellæ:
Fœmina nam cupidis quoties succenset ephebis,
Promittunt iræ Veneris commercia tales.
Ergo vbi odorato Nymphæ tulit oscula collo,
Sic fatur magno mentem percussus amore,
Altera post Venerē Venus, *& post* Pallada Pallas,
O quam te memorem! neque enim muliebribus istis
Te similem formis fas dicere! sed Ioue *natis.*
O fortunatos tam pulchra prole parentes!
O felicem vterum qui te tulit! En *age nostris*
Te facilem præbens precibus miserere furentis
Igne tuo, Venerísque *sacerdos* Cypridis *acta*
Exsequere, & diuæ cole connubialia iura.
Non decet innuptas Veneri *seruire puellas:*

Sed nec virginibus signatis Cypria gaudet.
Quæris quæ leges, quæ sint mysteria Diuæ?
Coniugium & thalami: Quòd si tibi Cypris amatur,
Flexanimorum age ama mellitum fœdus amorum;
Supplicis hoc, si vis, vel coniugis accipe votum,
Quem tibi cæpit Amor telis venatus acutis,
Vt fortem Alcidem, virgam qui commouet auream
Mercurius pernix, nymphæ seruire coëgit
Iardaniæ: at tibi me misit Cytherea, nec Hermes.
Virginis Arcadiæ puto te meminisse Atalantæ,
Virginitatis amans quæ Milanionis amantis
Effugit studia, irata post Cypride mutans,
Spretum antè, ardebat tota deperdita mente:
Da te ergo facilem, ne accendas Cypridis iram.
Sic ait; ac mens est renuentis flexa puellæ,
Córque deerrauit blando sermone loquentis.
At virgo ipsa oculos figens tellure silebat,
Clam suffusa genas instante pudore rubentes:
Ac summam pedibus terram radebat, & ora
Sæpe verecunda atque humeros velabat amictu:
Hæc persuasi animi sunt argumenta, silénsque
Vsuram thalami solet omnis virgo pacisci.
Dulcis amaritiem iam corde bibebat amoris
Virgo Hero, flamma penitas arente medullas,
Sensibus ereptis ad amabilis ora Leandri.
Ergo hîc, donec operta esset caligine tellus,
Insano errantes oculos Leander amore
Non habuit fessos spectando virginis ora;
Quæ tandem dulci sermone affata Leandrum est,
Emittens molli pudibundum ex ore ruborem,
Tu dictis, hospes, posses vel saxa mouere;

Ecquis te docuit fallentia verba rotare?
Heu quis te nostras externum duxit in oras?
Attamen incassum fudisti hæc vinnula verba:
Nam quî mecum ineas fœdus peregrinus, & erro
Intutus? sanctè atque palam connubia nobis
Concelebrare nefas; nostri hoc vetuere parentes.
Quin si fortè meam patriam cupis, hospes, habere,
Semper furtiui retegentur gaudia lecti:
Namque hominum vulgò lingua est mala, quódque latenter
Feceris in triuijs, communis fabula fiet.
Sed nec te pigeat patriam cum nomine vestram
Dicere; nam nostrum notum tibi; nominor Hero*:*
Celsa mihi domus est, quæ personat vndique, turris;
Hîc habitans vna tantùm famulante ministra,
Ante vrbem Sestum *super altæ margine ripæ,*
Propter sum pelagus; sic me statuere parentes:
Nec prope sunt pueræ æquales, iuuenúmque choreæ
Longè absunt: verùm semper noctúque, diúque
Ventosi pelagi sonus auribus infremit asper.
Sic fata, occuluit roseam sub tegmine malam:
Erubuitque iterum, & puduit sic esse locutam:
Cuspide sed punctus Leander Amoris *amara,*
Certamen quo pacto ineat meditatur amantum.
Namque virum telis domitans Amor *improbus, vlcus*
Sæpe viri medicat; tum quîs semel imperat, ipse
Cuncta regens, consultor erit mortalibus ægris:
Ille Leandro *etiam voluit succurrere amanti,*
Hinc animo æger amans sic callida dicta reponit,
Te propter sæuas, ô virgo, enare per vndas
Non dubitem, vel si plenum ignibus æstuet æquor,
Nec freta peruia sint; tua si mihi certa voluntas,

Haud

Haud hiemem horrisoni metuam maris, ire paratus
In thalamum, formosa, tuum, sempérque silente
Nocte ferar, pontíque Helles freta lata natator
Traijciam sponsus; procul haud mea distat Abydus
Vrbe tua: excelsa tantùm de turre lucernam
Vlteriore mihi ex ripa, in caligine pande:
Sic mihi sidus erit tua fax, ego nauis Amoris;
Intuitúsque illam, non mersum serà Bootem,
Non siccum Plaustri tractum, nec Oriona sæuum,
Dulce queam aduersum patriæ contingere littus.
Tu graue spirantes ventos, mea cura, caueto,
Ne faculam exstinguăt, animámque in luce relinquă
Ilicet exstincta: Nam lux dux nostra, salúsque est.
Quòd si tantus amor nostrum cognoscere nomen,
Formosæ sponsus Leander nominor Herûs.
Coniugium clandestino sic fœdere pactum est;
Ambo inter sese sic conuenere, fidésque
Vltro accepta data est, vt testis sola lucerna
Nuntia sit thalami, & noctis firmentur amores.
Hæc lumen præferre, hic se committere ponto
Promisit: mox perfectis insomnibus horis
Peruigilis sacri, tum inuitus vterque facessit;
Hæc turrim repetens, ille atra in nocte recedens,
Et misso turris signo, ne forsan aberret,
In bene fundatæ populos enauit Abydi.
Tota nocte ambo furtiuæ murmura rixæ
Optabant, creperásque addit quas Hesperus vmbras,
Dilectus thalamis. Iam nigra in veste reuersæ
Surgebant tenebræ, mortalia pectora somno
Damnantes, non Leandrum, qui littore ponti
Exstructi thalami exspectat prodentia signa,

Facturámque facem lacrymas vestigat ocellis,
Furtiui quæ nuntia erat longinqua cubilis.
Vt vidit tectum prima caligine cælum,
Lychnũ Hero ostẽdit; mox postquã accẽsa lucerna est,
Mentem accendit Amor properantis multa Leandri:
Cúmque ardente ardet iuuenis face, cúmque sonantes
Insani audiret fluctus maris, intremit ipse
Primo aditu; sed pòst animis fiducia venit:
Talibus alloquijs se tandem hortatur, & infit,
Sæuus amor certè est, pelagúsque immite; sed vndas
Æquora habent tãtùm, vrit me intimus ignis Amoris,
Accipe cor flammas, neque sit metus vllus aquarum:
Huc mihi ades præsens in amore; quid æquor & vn-
Horrescis? nescis Venerem maris esse propagem? (das
Et domina est ponti, & nostros regit æqua labores.
Hæc vbi dixit, vtraque manu sustollit amictum,
Exuit & membris, nuda in ceruice renodat,
Littoréque exsiluit, corpúsque emisit in altum,
Semper in aduersam properans transire lucernam,
Ipse suus remex, vector suus, & sua cymba.
At turri ex alta sublimis lucifer Hero,
Quà spirans tristes ventus diffuderat auras,
Sæpe mori vetuit prætenta veste lucernam,
Donec multa mari passus Leander, in actam
Sestiada euasit, turrímque inductus ab illa est;
Quæ virum anhelantem complexa in limine primo
Spumicomas pelagi stillantem è corpore guttas
Virginei cupidum thalami in penetralia duxit,
Detersítque cutem, roseóque perunxit oliuo
Corpus odorifero, pontíque aboleuit odorem.
Quin & adhuc respirantem amplexata maritum

Mollibus in ſtratis hæc mollia verba locuta eſt,
Sponſe, graues quos nemo alius tulit antè, labores
Anclaſti: mi ſponſe, ſali ſpumantis abundè eſt
Iam tibi, cetosíque, dedit quem pontus, odoris:
Huc age ſis, & ſudorem depone laboris
In noſtros, optate, ſinus. Zonam ille ſubinde
Soluit, & in venerem veniunt communiter ambo.
Non habuit choreas iſte Hymen, nec torus hymnos,
Coniugium cantor neque ſacrum voce probauit;
Nec fulſere faces ad connubiale cubile,
Nec choreas agilis quiſquam ſaliſubſulus egit;
Sed nec Hymen Hymenæe boni cecinere parentes:
At fixo thalamo ſtrauere ſilentia lectum,
Perfica cum expeterent tunc tẽpora, ſeráque mũdum
Hora dedit, nullo ſonuere Hymeneïa cantu
Gaudia; ſola illis nox pronuba: nulla Leandrum
In lectis Aurora virum conſpexit apertis.
Nando etenim aduerſam contra repetebat Abydon,
Noctis adhuc ſpirans; ſed non ſatiatus amore:
At verò ipſa ſuis clam pulchra parentibus Hero
Noctu nupta, die virgo apparebat: vterque
Sæpe vouebat vti occaſum lux alma videret.
Sic ſuffurantes fatalis tempus amoris
Mutua carpebant celati gaudia lecti.
Verùm ambo exiguo vixerunt tempore læti,
Nec potuere diu inſtabili gaudere hymenæo:
Nam ſimul ac hiemis pelago vis atra rigentis
Incubuit, dein horrentes ſonuere procellæ,
Et ſtabilita altè mollis fundamina ponti,
Hiberno flantes quaſſarunt ſidere venti,
Turbine verrentes latum mare, nauita ſæuum,

Nec tutum fugiens pelagus, tellure repulsam
E gemina piceam iam fregerat æquore nauim.
At non ô patiens animi, generose Leandre,
Te metus hiberni maris arcuit: illa lucerna
De turri, & solitæ monitrix prænuntia flammæ
Suasit vt insanos velles contemnere fluctus,
Crudelis, neque fida: ò si miseranda puella,
Dum sæuibat hiems, sine coniuge sola Leandro,
Mansisset, thalami metuens accendere sidus!
Sed superans Amor, & fati vis dura coëgit:
Victa facem mortis, neque iam monstrabat amoris.
Nox erat (& grauiùs spirant hoc tempore venti,
Flatibus hibernis ferientes littora venti
Confertim incumbunt pelago) cùm sponte Leander
Spe solitæ sponsæ, se triste frementibus vndis
Commisit; iámque vnda super deuoluitur vndam,
Turbatur pelago, miscetur & æthere pontus,
Vndique fit sonitus, dum venti prælia miscent,
Eurus flat contra Zephyrum, Boreæque minatur
Multa Notus, magno pelagi ruit vnda fragore.
Interea infelix iuuenis crudelibus actus
Vorticibus, supplex Cythercam sæpe vocabat,
Sæpe & Neptunum, imperio freta lata tenentem;
Nec Boream Nymphæ immemorẽ sinit Atthidos: atqui
Nullum illi auxilium, neque fata amor acer abegit.
Vndique surgentis tandem infausto impete fluctus
Illisus fertur, genuum vis fracta labascit,
Mobilium manuum virtus immota iacénsque est;
Intrat & in fauces sponte ingens fluxus aquarum.
Sic tristes bibit ille sali insuperabilis vndas:
Quin fax infida exstincta est stridore procellæ

Illa salus & amor, lacrymandi & vita Leandri:
Dúmque teneret adhuc iter hic, vigilantibus vsque
Fluctuat illa oculis, plangentibus incita curis.
Iámque erat orta dies, neque sponsum respicit Hero,
Lumináque intendens in lati tergora ponti,
Quærit an errantem poterit spectare maritum,
Fortè face exstincta: sed vbi in fundamine turris
A scopulis lacerum consortis corpus amici
Aspexit, pictam scindens à pectore vestem,
Præcipiti sonitu de turri proruit alta.
Sic Hero super interijt consorte peremto;
Séque ipsis ambo supremo in fine fruuntur.

Ex Antipatro.

In Hero & Leandrum.

Hic traiectus erat Leandri, hoc turre sub alta
Triste fretum, haud solus quod graue sensit Amor.
Hæc domus, hæc Herûs habitacula; turris & hæ sũt
Relliquiæ, hîc lychnus proditor ille fuit.
Ambos vnus habet tumulus; qui nunc quoque venti
Illius incusant inuida flabra sibi.

SVMMA PRIVILEGII.

DIplomate Regio cautum eſt Roberto Stephano R. F. R. N. ne quis hæc *Epigrammata ex libris Græcæ Anthologiæ à Q. Septimio Florente Chriſtiano ſelecta, & Latinè verſa*, intra ſexennium excudat, aut alibi excuſa clam, palámve diuendat, publicationis exemplarium, ſi quis ſecus fecerit, multâ indictâ, prout amplius in ipſo diplomate continetur. Lutetiæ Pariſiorum, VII. Kal. Quint. A. S. M. DC. IIX.

PERROT.